De aetate rebusque Mariae Franciae nova quaestio ...

Eduardus Mall

DE AETATE REBUSQUE
MARIAE FRANCICAE
NOVA QUAESTIO INSTITUITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VII M. JUNII MDCCCLXVII HORA XI.
IN AUDITORIO MAXIMO
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EDUARDUS MALL,
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
P. STÆGER, Stud. Phil.
TH. RIEDEL, Stud. Phil. et Theol.

HALIS SAXONUM.


(Marie)
Mall

DE AETATE REBUSQUE
MARIAE FRANCICAE
NOVA QUAESTIO INSTITUITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VII M. JUNII MDCCCLXVII HORA XI.
IN AUDITORIO MAXIMO
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
EDUARDUS MALL,
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
P. STÆGER, Stud. Phil.
TH. RIEDEL, Stud. Phil. et Theol.

HALIS SAXONUM.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

De aetate rebusque Mariae Francicae nova quaestio instituitur.

Opera Mariae illius, quae Francica *(de France)* dicitur, tam nota sunt, eius carmina *(lais)*, fabulae, liber de Purgatorio tam saepe a scriptoribus, qui de re ad litteras francogallicas medii aevi spectante disputant, commemorantur, ut vix credi possit, de eius vita rebusque fere nihil traditum esse, neque de saeculo quidem, quo auctorem vixisse putundum sit, viros doctos in eandem abire sententiam. Tamen ita se res habet. Alii enim (velut Fr. Douce: Illustrations to Shakespeare, London 1807, II p. 77) pro certo habent, Mariam undecimo saeculo vixisse; alii, velut M. Robert (Fables inédites des XIIme XIIIme et XIVme siècles Paris 1825 I, pp. CLIII sqq.), Franc. Michel (Tristan: recueil de ce qui reste des poèmes relatifs à ses aventures; Londres et Paris 1835 I. p. IV), J. F. Ampère (Histoire littéraire de la France avant le XIIme siècle I pp. 78—81) duodecimo; alii, velut Le Grand d'Aussy (Fabliaux on Contes $3^{\text{ème}}$ ed. Paris, 1829, v. IV, p. 323), G. de la Rue (Essais historiques sur les Bardes, les Jongleurs et les Trouvères Normands et Anglo-Normands, Caen 1834, III pp. 47 sqq.), B. de Roquefort (Poésies de Marie de France etc., Paris 1820, I pp. I sqq. II pp. I sqq.), D. M. Méon (Le Roman du Renard, Paris 1826, I pp. VII sqq.), M. A. Rothe (Les Romans du Renard examinés etc., Paris 1845, pp. 326 sqq.), de Reiffenberg (Chronique de Ph. Mouskes I. pp. CXCIII sqq.),

G. Fallot (Recherches sur les formes grammaticales etc.) publ. p. Ackermann pp. 464, 469) tertio decimo saeculo eam viventem faciunt. Atque ex eis, qua modo enumeravi, alii eam ineunte saeculo XIII, alii medio, alii exeunte saeculo XIII floruisse dicunt. Esse qui etiam ad quartum decimum saeculum eam referrent, narratum mihi est, in libris non inveni, cum ad complures libros, qui ad hanc rem pertinent, introspiciendos facultas mihi non esset data.

Certe tam diversa in eadem re iudicia non ita saepe occurrant, et nexio an parum ad auctoritatem multorum ex illis viris confirmandam valeant. Sed cum et multa, quae adhibito severiore iudicio ad rem explicandam apta sunt, congesserint, et nonnulli ex eis tantam auctoritatem consecuti sint, ut eorum opiniones a plurimis viris doctis sint acceptae, facere non possumus, quin, priusquam ad ipsam quaestionem accedamus, quae a quoque graviora in hac re proposita sint, videamus.

Maxime agendum erit de eis sententiis, quas de la Rue, (quem vestigiis sequitur Roquefort), Robert, Méon, Reiffenberg, Rothe protulerunt; reliqui in praetereundo rei mentionem iniecerunt.

Cum diu de Maria praeter opera eius nihil esset notum, summam operam dabant viri docti, ut ex eis conicerent, ubi nata esset, ubi vitam degisset, quales fuissent vitae eius conditiones, quando vixisset, aliaque eius generis. Inveniuntur autem in eius operibus complures loci, in quibus de se ipsa pauca dicit, in eosque maxime animos intenderunt.[1]

Prol. lais v. 43. En l'honur de vos, nobles Reis,
Ki tant estes pruz e curteis,
A ki tute joie s'encline,
E en ki quoers tuz biens racine;

[1] Notis utar hisce: Prol. lais significat prologus carminum, epil. = epilogus, fab. = fabula, Pg. = liber de Purgatorio, Gug. = lai de Gugemer, Eq. = lai d'Equitan, Fr. = l. d. Freisne, Bis. = l. d. Bisclavaret, Lanv. = l. d. Lanval, D. A. = l. d. deux amants, Y. = Ywenec, Lst. = Laustic, Mil. = Milun, Chait. = Chaitivel, Chev. = Chevrefoil, El. = Eliduc.

M'entremis de Lais assembler
Por rime faire e reconter.
En mun quoer penseie e diseie,
Sire, ke vus presentereie;
Si vus les plaist a receveir,
Mult me ferez grant joie aveir.
A tuz-jurs mais en serai lie.
Ne me tenez a surquidie,
Si vos os faire icest present.
Or oez le comencement.

Gug. v. 5 Oiez, Segnurs, que dit Marie,
Ki en sun tens pas ne s'ublie.

Prol. fab. v. 27 A moi qui la rime en doit feire,
N'avenist noient a retraire
Plusurs paroles que i sunt
Meiz ne purquant Cil m'en semunt,
Ki Flourz est de Chevalerie,
D'anseignemenz, de curteisie;
E quant tex Hum m'en ad requise,
Ne voil lessier en nule guise,
Que n'i mette traveil e peine;
Or ke m'en tiegne pur vileine,
Mult deit fere pur sa preiere.

Epil. fabb. v. 1 Au finement de cest escrit,
K'en Romanz ai turné el dit,
Me numerai par remembraunce:
Marie ai num, si sui de Fraunce.
Puet bien estre, ke Clers plusur
Si prenreient sur eus mun labur;
Ne voil que nus sor lui le die;
Cil uvre mal qui sei ublie.
Pur amur le cumte Willaume,
Le plus vaillant de cest royaume,
M'entremis de cest livre feire
E de l'Angleiz, en Roman treire,
Ysopet apeluns ce livre,
Quil traveilla e fist escrire,
De Griu en Latin le turna.
Li Rois Henris, qui moult l'ama,
Le translata puis en Engleiz
E jeo l'ai rimé en Franceiz,
Si cum gel truvai premierement.

Or prie a Dieu omnipotent,
Que tel œuvre me laist enprendre,
Avant que puisse l'ame rendre,
La-suz en Paradiz tut dreit,
Dites amen, ke Deus l'ottreit.

Pg. v. 1 Al non de Deu qui od nus seit,
E qui sa grace nus enveit,
Voil en Romanz mettre en escrit,
Si cum li Livres le nus dit;
— — — — — — — —

v. 9 Uns prud' om m'ad pieça requise,
Pur ço m'en sui ore entremise,
De mettre mei en cel labur
Pur reverence e pur s'onur.
E si lui plest e il le voille,
K'en ses bien-faiz tuz-jurs m'accoille,
Dirai ço ke j'en ai oï,
Beau-piere, or entendez-ici.
— — — — — — —

v. 21 Ja de ço ne m'entremesisse,
N'en estudie ne me mesisse,
Si ne fust par vostre priere,
K'en mun quer e duce et chiere,
— — — — — — —
— — — — — — —

v. 2297 Jo Marie ai mis en memoire
Le livre de l'Espurgatoire
En romanz, k'il seit entendables
A laïe genz e covenables;
Or preiom Deu, ke pur sa grace
De nos pechiez mundes nus face.

Apparet ex his locis, Mariam carmina ad honorem regis cuiusdam, cuius laudes effert, quem tamen non nominat, composuisse; fabulas ab ea scriptas esse precibus adducta comitis cuiusdam Guilelmi, quem non accurate describit. Nomen ei fuisse Mariae eamque in Francogallia natam esse; ut gratum faceret illi Guilelmo eam fabulas ex anglico sermone in franogallicum vertisse. Ut librum de Purgatorio

scriberet, rogatam esse a viro quodam, quem appellat Beaupiere, cuius beneficia recordatur.

Videmus, quam obscura pleraque sint, quamque parvam concludendi facultatem praebeant. Eo magis res doctorum virorum acumen excitavit, aliaque ab aliis prolata sunt. Ut omittam quae Le Grand d'Aussy (in libro supra commem. IV, p. 323) proposuit, cum iam a de la Rue (Essais etc. III, p. 70) et Roquofortio refutata sint, statim ad ea, quae de la Rue de ea re disputavit, transeo.

Qui primum in Archaeologia (or miscellaneous tracts relating to antiquity, XIII, p. 36 sqq.) postea in eo libro quem supra commemorari (Essais hist. III pp. 47 sqq.) opinionem suam exposuit hoc modo.[1]

In exordio, quasi iam probatum sit, statuit, Mariam tertio decimo saeculo et in Anglia quidem vixisse; natam eam esse in Francogallia, ut appositum illud *sui de Fraunce* (epil. fab. v. 4) indicet, et probabiliter aut in Normannia aut in Armorica. Verisimile esse, eam, si normannica fuisset, ineunte saec. XIII, cum ea provincia a rege Franogalliae occuparetur, cum multis aliis gentibus in Angliam transmisisse, aut, si armoricana, cum ea provincia et Anglia clientelae officiis continerentur, tali genti, quae in Anglia beneficia haberet, eam tribuendam esse. Pergit de la Rue, Mariam non solum linguae anglicae et francogallicae, sed etiam latinae gnaram fuisse et ob eam rem credendum esse, eam summo loco natam amplisque fortunis usam esse, cum eiusmodi studiis vacare ei licuerit. Ex verbis (prol. lais. v. 43) quae descripsi supra, effici ait, Mariam carmina regi cuidam dedicavisse et fuisse illum regem Henricum III. Angliae his argumentis probat:

primum ait, Mariam invidiam hominum timuisse, quod esset in terra aliena (Maria id nusquam dicit sed eo loco, quem intelligit de la Rue Gg. 1—20 tantum se a calumniatoribus defendit).

deinde eam nonnunquam vocabulis anglicis in sermone

---

[1] In locis afferendis alteram expositionem sequar, quoniam utraque eadem continet.

francogallico uti; exemplum profert Fr. 198 *fire e chaundele alumez,* quamquam in editione Roquefortii *fu e* ch. legitur; tamen res it a se habet, cum aliis locis multa vocabula anglica occurrant (cf. *wassel* fab. III, *welke* fab. XIII, *grave* fab. LVI, *wibet* fab. ead., *hafne* saepe in Gug. El. cet.);

tum Mariam nomina celtica etiam in anglicum sermonem vertere, velut Chev. 115 *Gotelef;* Lst. 6 *nightgale,* quod nisi ad Anglum scripsisset, intelligi non posset;

tum ait eam ipsam dicere (Prol. lais. 32) suo tempore multos poëtas libros e latino sermone in francogallicum vertisse, idque optime congruere cum regno Henrici III., quo tempore multos poëtas floruisse notum sit;

denique de la Rue nititur auctoritate Fauchetii et Pasquierii, qui eam medio saeculo XIII. viventem faciant et Dionysii Pyrami, qui eodem saeculo vivens ut de aequali de ea loquatur. (Quanta in hac re cernatur hominis audacia, cum hae auctoritates nihil probent, postea videbimus.)

Ex his caussis effici ait, Mariam non ad regem Francogalliae sed ad regem Angliae et ad Henricum III. quidem carmina sua misisse.

Fabulas, ait de la Rue, non Guilelmo de Dampierre, marito Margarethae II. (quae anno 1244 Flandriam obtinuit), quem Le Grand d'Aussy (op. l. IV. p. 313) proposuerat, dedicatas esse, nam illum nusquam comitis dignitate ornatum fuisse et quoniam Maria in Anglia vixerit, Guilelmum illum propter addita verba: (epil. fab. v. 10) *le plus vaillant de cest royaume*, in Anglia esse quaerendum. Ipse proponit Guilelmum illum, cui cognomen erat Longsword, filium Henrici II. et Rosamundae, in quem omnia, quae Maria de suo comite Guilelmo praedicet, cadant; etiam carmen in eius sepulcro incisum eadem fere verba *(flos comitum)* exhibere, quibus Maria usa sit *(flourz de chevalerie)*. Qui cum anno 1226 mortuus sit, sequi, ut Maria fabulas ante eum annum composuerit.

Quibus dictis de la Rue quaestionen solutam existimans ad alia minora (velut, a quo versio anglica fabularum, de

qua loquitur Maria epil. fab. vv. 12, 17, confecta sit, etc.) transit, quae hoc loco omittimus.

Haec fere sunt, quae de la Rue ad hanc rem bis disseruit; eo tempore, quo alteram commentationem scripsit, rem denuo examinare oportebat, quoniam interea alia prolata erant, quae ad rem maximi sunt momenti, quae de la Rue tamen non digna putat, quae refellantur.

Anno 1820 B. de Roquefort opera Mariae in lucem edidit, sed quae de Maria ipsa eiusque aetate docet, omnia fere ex illius dissertatione (Archaeol. XIII, 36) translata sunt, ita ut de eius opinione loqui supervacaneum videatur.

Non ita multo post hanc editionem curatam, M. Robert (fables inéd. I. pp. CLII sqq.) alia proposuit. Qui se intelligere posse negavit, cur Guilelmus ille cognomine Longsword, cum esset Anglus, Mariam, ut fabulas e sermone anglico in francogallicum veteret, exhortaretur, quippe quae patria ipsius lingua composita essent. Probabilius duxit, eam a viro nationis francogallicae permotam esse, ut id faceret, itaque ipse proposuit Guilelmum quendam, cui cognomen erat d'Ypres, cuius multae cum Angliae regibus fuissent consuetudines. Qui cum ineunte saeculo duodecimo floreret, non dubitavit Robert, Mariam quoque eo tempore viventem facere eo magis, quod in nulla fabula nominibus propriis Ysengrimi et Reinardi, sed semper appellativis, vulpis *(goupil)* et lupi *(leus, los)*, uteretur, quamquam illa nomina saeculo duodecimo iam usitata fuissent, et quod formae sermonis Mariae duodecimi saeculi formis similiores, quam tertii decimi essent.

Quae Roberti opinio a nullo diserte refutata est, cum omnes, qui eam commemorant (de la Rue, Reiffenberg, Rothe, alii) in praetereundo simpliciter improbent, neque ego eam saepe commemorabo, propterea quod eam una cum compluribus aliis argumentatione mea refutatum iri spero, hoc tamen ostendit, etiam liuguae formas, quibus utitur Maria, accuratius contemplari necesse esse, si iusta argumentatio instituatur.

Vix uno anno postquam Robert haec proposuit, M. Méon poëmata, quae sunt de Reinardo vulpe, edidit quattuor volu-

minibus, quorum ultimo continetur poëma dictione, stilo, proposito ob aliis diversum quod incribitur *le Couronnemens Renart.* Poëma est satira in fratres minores et jacobinos scripta, in qua vulpes Reinardus summam personam sustinet. Qui libellus maximi ad rem nostram momenti est, nam ex his versibus:

v. 1 Pour la noble chevalerie
Qui jadis fu si ensauchie
En France et en toute Bretaigne,
En Angleterre, en Alemaigne,
Par tout l'Empire et le Roiaume
Dou preu vaillant Conte Williaume,
Qui jadis fu Contes de Flandres,
— — — — — — — —

v. 11 M'est pris talens et volentés,
Que pour çou qu'il fu si senés,
Si larges, si preus, si cortois,
Par raison deuist iestre Rois,
— — — — — — —

v 18 Si ne veil or ci soit descrite
Autre raison que vos dirai
Pour coi ma matere pris ai
Sour celui que j'ai dit desus.
etc.

et ex his:

v. 3360 Et pour çon dou Conte Guillaume,
Qui ceste honor eut encharcie,
Pris mon prologue com Marie,
Qui pour lui traita d'Izopet.
Et pour itant ici fin met
De Renart qui est couronés
Isi com vos oï aves cet.

ex quibus apparet, etiam hoc poëma ad honorem Guilelmi comitis cuiusdam compositum esse, Mariaeque Francicae fieri II mentionem, Méon confecit (Rom. d. Ren. I. pp. VII sqq.) Mariam etiam hoc poëma de Reinardo coronato composuisse, cum eadem fabulas quoque ad comitem Guilelmum misisset et illum Franco-gallum esse dixisset. Méon enim primus illud *cest royaume,* quod est in epilogo fabularum Mariae (v. 10) ad *Fraunce,* quod sex versibus antecedit (v. 4) referebat, quibus verbis de la Rue contra ea Angliam significari dixerat, cum Maria in Anglia scriberet. Praeterea Méon vss.

3362—63 Mariam de se ipsa loqui putat, neque offendere, quod tertia persona de se ipsa utatur, quoniam idem alias (Gug. v. 5) fecerit, et alii scriptores velut Pierre de St. Cloud, Richard de Lison etiam tertia persona de se locuti sint. Itaque non dubitat pro certo habere, Mariam esse auctorem huius poëmatis et cum auctor saepius de se ipso et de comite Guilelmi loquatur, haec omnia ad Mariam referre variaque inde fallacia concludere (velut eam in Flandria natam esse, quae opionio, a multis viris, doctis etiam a J. Grimm [Reinh. Fuchs p. CXLVIII] accepta est).

Cum autem ex hoc poëmate et quando compositum sit et quis fuerit ille comes Guilelmus, ad cuius honorem et ipsum scriptum est et fabulae Mariae scriptae esse dicuntur, satis certe definire possimus, omnes, qui accuratius de Maria Francica disputaverunt, facere non potuerunt, quin et haec duo quaererent: estne ille comes Guilelmus, cui Maria fabulas dedicavit, idem ac ille ad quem celebrandum poëma de Reinardo coronato compositum est? et alterum: estne Maria auctor huius quoque poëmatis? Sed nescio quomodo pauci amplius de his quaestionibus disseruerunt, in his maxime de Reiffenberg et M. A. Rothe; de la Rue vero a trita sua via aberrare noluit, sed Méonio respondit (Essais III p. 100) eundem locum, ex quo Méon argumenta peteret, sibi quidem contrarium demonstrare videri. Haec ubi locutus, nullo argumento addito, de la Rue ad alia transit, certe auctoritate sua confisus, quae tum magni aestimabatur. Neque eum fiducia ista fefellit; plurimi enim scriptores sine ullo scrupulo in eius sententiam discesserunt, velut Historia litterarum Francogalliae (Hist. litter. de la France XIX, pp. 793 sqq.) Le Roux de Lincy (Les femmes célèbres de l'ancienne France; Paris 1848, I p. 577—81) et omnes fere de historia litterarum francogallicarum scriptores (etiam Graesse, Allgemeine Litterärgeschichte II 2, pp. 1109 et 1110, quamquam idem II 3, p. 474 Méonii sententiam probare videtur).

Méonii sententia diligentius examinata est maxime a Reiffenbergio (Chronique de Ph. Mouskes, Brux. 1836—38 I pp. CXCIII sqq.) et Rothio (Les Rom. du Ren. examinés

etc. Paris 1845 p. 326 et sqq.); sed ut de opinione, cuius auctor de la Rue est, finem faciamus, de Rothii sententia prius agam. Qui eo loco, quem indicavi, amplius de poëmate de Reinardo coronato disputat et illud altera parte saeculi tertii decimi ad honorem Guilelmi, comitis Flandriae, filii Margarethae II. (non mariti), quae ex anno 1244 Flandriam obtinuit, demonstrat, compositum esse. Atque haec quidem recte, ut etiam postea videbimus, contra quae de eis quaestionibus, de quibus supradiximus, utrum Mariam ad honorem eiusdem Guilelmi scripsisse putundum sit, necne, et utrum Maria etiam poëma de Reinardo coronato composuerit, necne, profert, prorsus inepta videntur. Nam argumenta Méonii prorsus negligens ea quae proposuit de la Rue, pro re comperta existimat, ex qua cum efficiatur, Mariam ineunte saeculo tertio decimo floruisse, fabulasque ad Guilelmum, filium Henrici II., Angliae regis, misisse, sequi, ait, ut nec poëma de Reinardo coronato, quod altera parte eius saeculi scriptum sit, componere, nec ad eundem comitem Guilelmum, ad quem auctor huius poëmatis scripserit, fabulas mittere potuerit. Videmus hanc argumentationem parum logicam esse; si in re tam dubia, quae doceri oportet, pro re comperta statuuntur, tunc certe omnis disputatio vana et inutilis est. Auctor hoc sensisse videtur, nam prioris illius propositionis, Mariam poëma de Reinardo coronato non composuisse etiam alias rationes ex comparatione eius poëmatis cum operibus Mariae petitas affert, quae multo probabiliores sunt, sed hanc alteram cum demonstrare conetur, haeret in his versibus:

Et pour cou dou Conte Guillaume
Qui ceste honor eut encharcie
Pris mon prologue com Marie
Qui pour lui traita d'Izopet cet.

Illud *pour lui* cum pugnet cum eius sententia, contradictionem amovere conatur, cum dicat, *pour lui* hoc loco idem esse ac: *un personnage tel que lui;* ceterum facile auctorem poëmatis suum Guilelmum ab illo, ad quem Maria scripsisset, errore non distinguisse! (Cf. Rothe op. laud. p. 348). Quid hac argumentatione faciamus?

Multo aptius iam antea Reiffenberg (cf. quem laudavi locum) de eisdem rebus disseruit. Ac primum quidem quae de la Rue statuerat, refutat, cum et ipse sicut Méon verba illa, quae sunt in epilogo fabularum Mariae, *le plus vaillant de cest royaume* (v. 10) ad *France* quod nomen sex versibus autecedit (v. 4) referat, et ex eo quod Maria in Anglia vixerit non concludi posse dicat, illum cui dedicuverit virum, Anglum fuisse; nam nec semper eam ibi commoratam esse oportere, et si tamen ita fuerit, facile eam nihilo minus librum viro ex ea terra oriundo, in qua ipsa nata fuerit cuiusque tum multae cum Anglia necessitudines fuerint, dedicare potuisse. Neque ex eo quod de la Rue probaverit, Guilelmum, maritum Margarethae (quem Le Grand proposuerat), non esse eum, ad quem fabulae missae sint, effici Guilelmum filium Henrici II eum esse, eoque modo omnia, quae de la Rue ad opinionem suam probandam attulerit, irrita cadere. Ipse Reiffenberg non dubitat, cum Méonio ex illo *pour lui* concludere, Mariam fabulas eidem comiti Guilelmo, filio Margarethae, qui in poëmate de Reinardo celebratur, dedicasse, sed utrum id poëma ipsum a Maria compositum sit necne, non diiudicat; posse sane Mariam in tertia persona de se locutam esse posse etiam diversis dialectis eam in scribendo usam esse, sed rem non esse certam. Quamquam ex eis quae alio loco (II, p. 742) dicit, apparet, eum in hanc sententiam inclinare.

Quam Reiffenbergii expositionem cum reputo, facere non possum quin quaeram: nonne haec multo magis apta et consentanea videntur, quam omnia quae ante eum et, quod ego sciam, post eam de hac re disputata sunt? Mihi quidem, quamquam non omnia, quae dicit, probo, quamquam ne ipse quidem veram et iustam quaestionem instituere voluit, quippe qui per occasionem tantum in ham rem inciderit, tamen Reiffenberg solus ostendisse videtur, quo modo in tali re argumentandum esset.

Haec maxima sunt, quae de Maria Francica dissertata invenio; silentio eos protereo, qui unam ex his opinionibus secuti novi nihil attulerunt, et si qua nihilominus addenda videantur, ea suo loco commemorabo. Omnino videmus,

adhuc certi nihil exploratum et adhuc sub iudice litem esse. Materia multa congesta, multa etiam neglecta est, et nescio quo modo qui plurimam collegerunt, minime bene ea usi esse videntur, sed plerumque coniecturas capere, quam certis locis niti maluerunt, et si qua bona invenerunt, plerique quaerendi studio abrepti plura concludebant, quam quae rebus ipsis efficiuntur. Equidem vitatis, quantum potero, his erroribus iustam quaestionem instituere conabor, et cum viderimus, plurima, quae adhuc prolata sunt, incerta aut fallacia esse, nullam ex eis sententiis secutus rem ab initio denuo tractabo. Atque hunc disputandi ordinem sequar: primum videbo, ubi Maria nata sit ubique vitam degerit, deinde quales fuerint vitae eius conditiones, denique quo tempore scripserit. Hoc ultimum, quod caput est quaestionis, et ex sermonis eius habitu formisque et ex aetate eorum, quibus opera sua dedicavit, et ex aliis quae reperiri possunt investigare conabor.

Ac primum quidem quaeritur, ubi nata sit ubique vitam degerit, quae res multis de caussis separari non possunt. Si relegimus eos locos, quibus Maria de se ipsa loquitur quosque supra (pp. 4, 5, 6) descripsi, videmus, Mariam tribus locis, semel in unaquaque parte operum se ipsam nominare; bis simpliciter nomen profert (Gug. 5, Pg. 2297), tertio loco (epil. fabb. v. 4) addit: *si sui de Fraunce.* Omnes fere viri, de quibus supra diximus, ex eo quod haec apponit, concludebant Mariam extra patriam vixisse.

Fuerunt, qui putarent, Mariam provinciam illam, cui nomen erat Franciae, intelligere, quod si esset, tantum sequeretur, ut in alia provincia Franogalliae vixisset (cf. Hist. litt. XIX, p. 793); sed hoc parum mihi consentaneum videtur, propterea quod sex versibus post legitur, ubi de Guilelmo loquitur, *le plus vaillant de cest royaume.* De la Rue (l. l. p. 71) hoc *cest royaume* ad illud regnum, in quo Maria habitavit, referebat, non ad Francogalliam; sed cum in toto fabularum libro, in quo haec verba leguntur, nusquam Maria de alio regno loquatur et cum proxime antecedat nomen *France*, certe contra omnes interpretandi leges peccaremus, si aliud quid, ac Franogalliae regnum intelligeremus. Ex quo effi-

citur, et comitem Guilelmum qui fortissimus huius regni appellatur, Francogallum fuisse, id quod infra persequemur, et, si omnino ex eo quod Maria patriam suam nominavit, concludendum sit, eam extra patriam vixisse, eam extra Francogalliam vitam degisse, non solum extra provinciam Franciae. Sed non solum ex his, sed etiam ex aliis rebus demonstrari potest, Mariam extra Franogalliam et in Anglia quidem vixisse. Jam de la Rue et Roquefort animadverterunt, eam nomina celtica in anglicum sermonem vertere (vide supra p. 8), quae certe non fecisset, nisi in Anglia scripsisset. Deinde Maria (epil. fabb. 16 sqq.) versionis anglicae fabularum aesopiarum mentionem facit, quae a rege quodam facta sit (de nomine codices differunt), quamque (ibid. vv. 18, 19) se accurate vertisse dicit. Le Grand d'Aussy (Fabliaux etc. III ed. v. IV p. 328) de ea re dubitavit, sed exstitisse eam versionem anglicam satis constat, cum de la Rue (l. l. p. 79), Roquefort (Poésies de Marie de France etc. II, p. 20) Th. Tyrwhitt (The poetical works of Chaucer; introductory disc. to the Cant. tales §. XXXVI, n. 29) affirmant, in codice quodam latino XIII saeculi eam versionem anglicam commemorari. Si Maria non in Anglia vixisset, unde ei venisset illa versio anglica fabularum? Certe tum cum ne in Anglia ipsa quidem omnes ordines lingua vernacula utebantur, extra eam terram scripta anglica nota fuisse nemo crediderit. Denique in libro de Purgatorio duo loci inveniuntur, quae omnem controversiam tollunt. Pg. v. 503 sq. legimus:

El tens le Rei Estefne dit
Si cum nus trovum en escrit,
K'en Yrlande esteit cet.

Apparet, Mariam de Stephano, Angliae rege, loqui et ita quidem, ut dubitari non possit, quin ipsa in ea terra habitaverit, cuius ille rex fuit, quod ni esset, certe addidisset, cuius terrae rex Stephanus fuisset. Alter locus est hic: v. 1093 — — (li moine) —

Vindrent alue(c) en Engleterre. *Aluec* est adverbium loci quod quidem a Burguyo (Gramm. d. l. langue d'oïl, II, 300) non certe explicatur, quod tamen hoc loco cum verbo

venir (quo fere semper motus versus eum, qui loquitur, indicatur), nihil aliud significare potest nisi: *venerunt huc in Angliam.* Qui haec scripsit, et ipse in Anglia habitavit. Duo hi loci rem mihi tam stricte demonstrare videntur, ut mirandum sit, eos a nullo commemoratos esse. Sed saepius etiam videbimus, multa coniecta et conclusa, verba scriptorum ipsa neglecta esse.

Satis mihi demonstrasse videor, Mariam in Anglia vixisse et scripsisse; certum etiam videtur, omnia opera ibi ab ea scripta esse, cum in carminibus nomina illa in sermonem anglicum translata, in fabulis vocubula anglica, quae attuli, in libro de Purgatorio duo illi loci, quibus res deciditur inveniantur. Videtur igitur magnam, fortasse maximam, vitae partem ibi degisse.

Nunc etiam de alio loco iudicare licet, cuius nondum mentionem feci, cum nemo amplius de eo disputaverit. Ante annum 1835 omnes, qui de Maria scripserunt, coniecturis indagare studebant, qua in provincia Francogalliae Maria nata esset; sed certi nihil explorari poterat. Eo demum anno, quo A Jubinal librum, quem inscripsit Jongleurs et trouvères (Paris 1835) edidit, poëma satiricum a J. Dupinio scriptore quarti decimi saeculi compositum, et *L'Euvangille de femmes* inscriptum in lucem prolatum est, quod hos versus exhibet:

v. 1 L'Euvangille des femmes vous weil cy recorder
Moult grant prouffit y a qui le veult escouter;
Cent jors de hors pardon s'y porroit conquester;
Marie de Compiegne le conquist cultre mer.

L'euvangille des femmes si est et bonne et digne,
Femme ne pense mal, ne nonne, ne beguine.
Ne que fait le renart, qui happe la geline,
Si com le raconte Marie de Compiegne.

Si haec „*Marie de Compiegne*“ eadem est, quam nos Mariam Francicam (Marie de France) appellare solemus, apparet, eam in urbe Compendio natam esse; Jubinal (p. 26 l. l.) non dubitat, quin Dupin de Maria Francica loquatur, et multi (cf. Hist. litt. d. l. Fr. XIX p. 793; Rothe l. l. p.

326) eum secuti sunt; Reiffenberg (II, 742) haesitare videtur. Res tamen facile demonstrari potest; primum enim Maria Francica sola femina est, quam eis temporibus gloriam aliquam in litteris francogallicis assecutam esse, traditum est, et etiam si plures essent, congruentia nominis Mariae rem probabilem redderet; deinde quicunque scriptores Mariae Francicae mentionem faciunt (cf. locum illum poëmatis de Rein. cor. v. 3362; praeterea Dionysii Pyrami vitam Sti. Edmundi apud Michel Rapports à M. le ministre de l'inst. publ. Paris 1838, p. 251), eam simpliciter *Mariam* vocant, ita ut eos minime dubitasse appareat, quin audito illo nomine, omnes, Mariam Francicam intelligi, scirent; itaque idem hoc loco credendum est.. Tum de fabularum auctore Maria Dupinium loqui efficitur ex illo versu:

Ne que fait le renart, qui happe la geline (Si com le raconte Marie de Compiegne.) Constat autem, nullam aliam feminam eis temporibus fabulas scripsisse.

Plana autum et certa res fit additis verbis: oultre mer; supra demonstravimus, Mariam in Anglia scripsisse; nonne manifestum est, Dupinium, qui in Francogallia scripsit, de hac Maria, fabularum auctore, quae „ultra mare“ in Anglia scripsit, in his versibus loqui? Quae cum ita sint, dubitare non possumus, quin illis Dupinii versibus Maria Francica designetur, eamque in urbe Compendio natam esse putandum sit.

Tertio loco quaerendum est, quales fuerint vitae eius conditiones.

De la Rue (l. l. p. 49) affirmat, eam praeter linguam francogallicam et anglicam etiam celticam et latinam novisse, ex quo concludit, Mariam summo loco natam amplisque opibus usam esse, cum talibus studiis vacare ei licuerit. Contra Le Roux de Lincy (Les femmes célèbres de l'anc. France p. 577), eam quo victum quaeritaret, omnis generis opera composuisse dicit, testimonia nulla affert. Multi etiam in eo quod Maria dicit, se ex traditionibus celticis haurire, fidem ei derogaverunt. Quo iure id fecerint, paucis exponemus.

Maria se ex traditionibus armoricis et britannicis haurire affirmat, ex quibus se alias recitatas vel cantatas audivisse (Eq. 9, Fr. 2, Lanv. 636, Chait. 2,239. Elid. 3),

alias in libris invenisse (Gug. 25), alias et audivisse et legisse se dicit (Chev. 5, 6.). Multis praeterea locis simpliciter ab Armoricanis de hac re carmina composita esse dicit (D. A. 5, 242, Lst. 2, 159, El. 1172, 1173.). Complures viri docti haec credere nolebant, velut Le Grand d'Aussy, Raynonard, alii; et Ampère (Histoire littéraire de la France avant le douzième siècle, Paris 1830 pp. 78—81) amplius demonstrare conatus est, carmina popularia francogallica non ex traditionibus celticis hausta esse. In hoc uno omnes refutati sunt a F. Wolfio (Ueber die Lais, Sequenzen und Leiche, Heidelb. 1842, pp. 250 sqq.), qui non solum demonstravit, Armoricanos et Britannos res gestas clarorum virorum et fabulas antiquas carminibus cantasse et etiam litteris mandasse (p. 62) ex eisque carminibus poëtas Francogalliae hausisse (ibid. pp. 59, 249 sqq. et Neueste Leistungen p. 10), sed etiam ipse non dubitat, multis locis (ib. pp. 62, 63, aliis) Mariae auctoritate niti. Quem equidem sequi non dubito satisque constare arbitror Mariam ex traditionibus celticis hausisse, eamque lingnam intellexisse.

Fuerunt etiam, qui negarent, Mariam linguae latinae gnaram fuisse, (Le Grand d'Aussy, Fabliaux etc. IV p. 328), et ipse Wolf (l. l. p. 175) eo inclinare videtur, sed iniuria, ut mihi videtur. Primum enim ipsa dicit se in animo habuisse e latino sermone historias vertere (prol. lais, 30) et cum in aliis ei credi posse viderimus, cur in hoc non credamus? Deinde (ibid. v. 10—16) dicit Priscianum referre, moris fuisse apud antiquos, nonnunquam minus aperte et plane dicere, quo magis, qui legerent, ipsi quae intelligenda essent investigarent. Equidem Mariam significare arbitror eum locum praeexercitamentorum rhetorices, quo Priscianus de fabula loquitur (cap. I): „Fabula est oratio ficta verisimili dispositione imaginem exhibens veritatis. Ideo autem hanc primam tradere pueris solent (oratores), quia animos eorum adhuc molles ad meliores facile vias instituunt vitae. Usi sunt tamen ea vetustissimi auctores," cet. Quae si recte coniecerim, sequatur, ut Maria tum cum prologum carminum scriberet, fabulas iam composuerit vel componere meditata

sit, ideoque non multum temporis inter carminum et fabularum confectionem intercideritt.

Praeterea in libro de Purgatorio Maria multis locis auctorum latinorum scripta commemorat maxime ecclesiasticorum, velut Sancti Gregorii vv. 32, 151, 391, Augustini, 143. Non est verisimile, eorum opera iam tum in francogallicam vel anglicam linguam translata fuisse, sed eam latine doctam fuisse, potius crediderim.

Ipse etiam de Purgatorio liber e sermone latino versus esse videtur; Maria enim (vv. 2297 sqq.) ideo se hunc librum composuisse dicit, ut esset *„entendables a laïe genz e convenables;“* quos homines appelet *„laïe genz“* conspicitur ex versu 1552, ubi opponuntur clericis cuiusvis ordinis. Is sermo autem, quem clerici, non laici, intelligebant, erat sermo latinus, et exstant etiam nonnulla de eadem re poëmata latina (Roquef. Poés. etc. I p. 23), quibus usa esse potest. Non infringit hanc opinionem, quod in prologo carminum (vv. 28 sq.) dicit, se noluisse historias e sermone latino vertere cum ob multitudinem eorum, qui id facerent, nulla gloria ea re parari posset; nam postea consilium mutasse potest et omnino hic liber non ad gloriam parandam ab ea compositus esse videtur, sed aliis de caussis, quas in exordio significavit, sed non explicavit. Minime igitur dubium mihi videtur, Mariam latine scivisse.

Linguam anglicam eam novisse, iam supra demonstratum est, et in patrio sermone eam elegantia et dignitate loquendi plurimis antecedere aequalibus, satis notum est. Efficitur igitur ex omnibus, quae dixi, Mariam maximam operam in litterarum studiis posuisse doctrinaeque copia in primis eius aetatis numerandam esse; certe et summa cura et diligentia erudita erat, et facultates opesque ei erant, ut illis studiis vacare ei liceret. Concludendum est, eam summo loco natam fortunisque amplis usam esse, id quod confirmatur verbis Dionysii Pyrami (cf. Michel, Rapp. p. 251), qui eam *„dame Marie“* vocat, qua voce *dame* tum non omnis femina, sed (cf. Burgny, grammaire de la langue d'oïl, III, p. 102) tantum ea, quae nobili loco nata vel equitis alicuius uxor erat, designabatur.

Venio nunc ad id, quod caput est huius quaestionis, quo tempore Mariam scripsisse putandum sit. Jam supra memoravi, quantopere doctorum virorum opiniones in hac re different; mirandum est nonnullos etiam ex sermonis Mariae habitu formisque diversa de eius aetate concludere, cum alii eam ad duodecimum saeculum (Robert, fables inéd. I, p. CLV), alii ad tertii decimi priorem partem (de la Rue, Essais, pag. 71), alii ad eiusdem saeculi alteram partem (G. Fallot, Recherches etc. pp. 464, 466; etiam ad finem eius saeculi p. 213) eam referendam esse arbitrentur. Itaque si apte rem tractare volumus, primum e sermonis Mariae habitu formisque, quo tempore eam scripsisse putandum sit, tum etiam ex aliis rebus maximeque, ut plurimi facere conati sunt, ex aetate eorum hominum, quibus opera sua dedicasse videtur, quo tempore floruerit Maria, investigandum erit. Alia quaerendi via non reliqua est, cum auctoritates, quibus niti possimus, non habeamus. Sed quid ego dico, auctoritates nobis non esse? Imo vero de la Rue habet optimas; nam testimonio Fauchetii, Pasquierii, etiam aequalis Mariae, Dionysii Pyrami, probari, Mariam regnante Henrico III. fuisse, dicit (Ess. p. 5 sqq.) Statim igitur evolvamus eos libros, ne forte in quaestione rei iam dudum compertae temere tempus teramus. Atque quae apud Fanchetium invenimus, haec sunt (Oeuvres de Cl. Fauchet, p. 579): Marie de France. Marie ne porte ce surnom, pource qu'elle fust du sang des Rois, mais pource qu'elle estoit natifve de France; car elle dit: (sequuntur versus 1, 2, 3 epil. fabb. Mariae). Elle a mis en vers François les fables d'Esope moralisées, qu'elle dit avoir translatées d'Anglois en François; (sequuntu rnonnulli versus Mariae inde a v. 9 epil. fabb.) Quid? Fauchet auctor est, Mariam tertio decimo saeculo fuisse? Quod equidem videre non possum. De la Rue fortasse ex inscriptione eius partis operum Fauchetii, quae haec est: Recueil contenant les noms et sommaires des oeuvres d'aucuns Poëtes, Rymeurs François viuans auant l'an MDCCC, illud conclusit! At certe apud Pasquierium aliquid reperiemus, qui (Recherches de la France l. VIII cap. I, p. 654) de significatione vocabulorum Roman et

François locutus, hoc modo pergit. J'ay veu vne vieille traduction qu'vne Demoiselle fit des Fables d'Esope, portant, ces vers (describit epil. fabb. vv. 1—4 et 9—18); Auquel lieu vous voyez, que cette Demoiselle vse du mot de Roman et François indifféremment pour vne mesme signification. Nescio levitasne maior sit, qua de la Rue, si locos istos non relegerit ea tamen afferat, an audacia qua, si relegerit, eis ad aetatem Mariae definiendam utatur, cum in neutro ne verbum quidem de aetate Mariae dictum sit. Sed audacia eius transit in impudentiam, ubi testimonio Dionysii Pyrami nititur, ut probet Mariam Henrico III. regnante vixisse. Dicit enim (Ess. III. p. 56) „Denis Pyramus, qui vivait sous le même prince après avoir fait l'éloge de l'auteur du Roman de Parthenopex de Blois fait celui de Marie

E dame Marie autresi
Qui en rime fist e basti
Et composa des vers de Lais,
Ki ne sont pas du tout verais;
Si en est elle muet loée
Et la rime partout amée;
Kar mult l'aiment, si l'unt mut cher
Comte, baron et chivaler,
Et si en aiment mult l'escrit
Et lire le funt, si unt delit,
Et si les font sovent retraire.
Les Lais soleient as dames plaire
De joie les oient et de gré
Kar sont selon lur volonté cet.

C'est d'après ces raisons réunies que nous croyons que c'est au roi Henri III. que Marie a dedié ses Lais, cet. Quando autem vixit ille Dionysius Pyramus? De la Rue (ib. p. 101), ubi de eo disputat, haec dicit: Ce Trouvère vivait sous le règne de Henri III., roi d'Angleterre; il nous parle de Marie de France comme d'un auteur contemporain, *et comme nous avons prouvé que ce fut sous ce monarque que brilla cette femme* nous sommes par là-même certains de l'époque où écrivit Denis Pyram.

Hoc certe plus est, quam quod ferri possit. Abstinere non potui, quin eius verba describerem, ne severius de eo

iudicasse viderer. Et Roquefort quid facit? Jurat in verba magistri et una cum rectis etiam falsa vel fallacia vertit (I. pp. 12, 13); quin etiam novas duas auctoritates affert, quorum altera (Le Grand d'Aussy) nihil habet nisi coniecturas, quae saepissime ab ipso refelluntur, altera (Massieu, hist. de la poésie fr. p. 157) Fauchetii verba describit. Ne quid praetermitterem, quod ad rem declarandam valere posset, relegi plurimos ex illis locis, quos Roquefort (I. p. 16) commemerat; in plerisque nihil omnino quod ad rem pertineret, inveni; omnes fere auctores a Fauchetio describunt; unus La Croix du Maine (Bibliothèque française, II. p. 89) de aetate Mariae loquitur, his verbis: „Marie de France, demoiselle françoise, fut bien versée en la Poésie usitée de son temps, sçavoir en l'an de salut 1260 ou environ. Elle a mis en vers françois les Fables d' Esope Moralisées, lesquelles elle a traduites de langue Angloise en la nôtre Françoise comme témoigne Claude Fauchet en sen recueil des Poëtes.“ De la Rue et Roquefort ubi de aetate Mariae disputant huius loci mentionem nullam fecerunt et non sine caussa, nam, si recte se habent, quae La Croix dicit, non facile Mariam ante 1226 falulas scripsisse credemus. Ceterum cum La Croix ea quae affert, nullo testimonio probaverit, et ipse dubiae auctoritatis esse potest.

Denique summam operam dedi, ut de aetate illius Dionysii Pyrami aliunde certi aliquid indagarem, sed nihil inveni, multi multa de eo narrant, sed aut omnino non dicunt, unde ea habeant, aut auctorem de la Rue sequuntur, cuius argumentandi rationen modo illustravimus. Qui auctiores candidiores sunt, simpliciter, se nihil de eo scire profitentur (velut P. Paris; Manuscrits français etc. III. p. 75).

Videmus igitur mullas nobis adesse auctoritates, quibus niti possimus, quique attulerint, eos vana specie fallere lectores. Restat una quam supra indicavimus via quaerendi; itaque eam sequamur primumque e sermonis Mariae habitu formisque concludere conemur, quando textus compositus esse videatur. Pauca tamen de codicibus et de Roquefortii editione operum Mariae praemittenda esse videntur.

Opera Mariae non in eadem omnia apud populum gratia et laude fuisse videntur; diu enim praeter fabulas nulla ex eis nota erant, ut supra vidimus, ne antiquarios francgallicos ipsos quidem carminum vel libri de Purgatorio mentionem facere. Ea etiam caussa esse videtur, cur fabularum multos codices, libri de Purgatorio duos, quorum alter mutilatus est, carminum unum codicem habeamus, qui una maximum numerum fabularum (103) continet. Hic codex ab omnibus qui eum viderunt, eximia pulchritudine esse dicitur. Servatur in Museo Britannico (Bibl. Harl. no. 978), describiturque et a F. Pluquetio (Roman de Rou, I. p. XVII. sq.) et a Th. Tyrwhittio (Chancer. Introd. disc. to the Cant. Tales §. XXVI., n. 24), qui ambo eum tertio decimo saeculo confectum esse existimant. Tria carmina Gug. Lanv. Yw. praeterea in codicibus Francogalliae exstant (Roquef. I, 24, 25). Mirum sane et vix credibile est, Roquefortium in editione operum Mariae (Poésies de Marie de France, Par. 1820) quorum operum plures codices haberet, eorum peiorem textum edidisse, optimum enim textum in eius editione exhibent carmina illa novem, quorum unum codicem Harleianum habebat, et liber de Purgatorio, cuius item unum codicem se secutum esse dicit (Poés. de. M. d. Fr. II., p. 211); deteriorem iam tria illa carmina (Gug. Lanv. Yw.), quorum duos codices habuit; prorsus male autem se habet in eius editione textus fabularum, in quo omnium temporum formae miscentur, quemque ex octo codicibus hausit. Res tum singularis explicari vix posset, nisi Roquefort ipse eam admirabili simplicitate et candore exposuisset.[3]

Qui cumque Roquefortii verba legerit intelliget, me in contemplandis Mariae sermonis formis fabularum rationem habere non posse, cum si id facerem, de multis formis iudicandum esset, quae nunquam a Maria profectae esse possunt, et aut ex ignorantia librariorum aut ex mirifico illo Roquefertii ingenio originem ducunt. E numero carminum etiam tria (Gug. Lanv. Yw.) formas depravatus habere non raras, iam supra indicavi (sed. Gug. rariores); et ne alia quidem carmina, quae ex uno codice Harleiano descripta sunt, correctum codicis imaginem exhibere, (quod in

prima quaque editione officium videtur), intelligitur ex comparatione eius carminis, quod „lai du Chevrefoil“ inscribitur, quale est in editione, et eiusdem carminis, quale a Fr. Michelio (Tristan; recueil de ce qui reste etc. II, pp. 141 sqq.) ab eodem codice descriptum est. Differentiae tamen non tantae sunt, ut quaestionem perturbent, itaque, cum nec codices ipsos adire potuerim, et multa ad rem idonea in textu Roquefortii inveniantur, quantum potero, ex huius editione, quo potissimum tempore textus conscriptus esse videatur, investigabo. Quod si minus apte fecisse videar, venia mihi detur, cum adhuc mihi nullus occurrerit liber, in quo eiusmodi quaestio habita sit, ideoque mihi nullo eius rei exemplo adiuto, meo iure atque iudicio opus fuerit aggrediendum.

Sequar in formis examinandis Fallotii et Burguii libros et eis auctoribus tres statuo esse dialectos linguae francogallicae (langue d'oïl), normannicam, picardicam burgundicam.

Ac dialectum quidem huius tectus nemo erit, qui in dubium vocet, normannicam esse. Frequens ac paene perpetuus usus vocalis *u* pro *o, ou, eu*, *u*, aliarum dialectorum diphthongi *ei* pro *oi, (ai,)*, simplicis vocalis *e* pro diphthongis *ei, ie,* plurimae contractiones pronomimum et inter se et cum prapcositionibus, articuli cum praepositionibus aliaque eius generis omnem tollunt dubitationem. Tamen nonnulla notanda esse videntur. Insunt in carminibus non ita rara vestigia dialecti eius, quam anglo-normannicam vocarunt, quae maxime cernuntur in diphthongo *au* pro simplici *a* substituta, velut *avaunt* Gug. 135, 167, *graunt* ibid. 168, *Aufrique* 177, *chaumbre* 235, *cumaunda* 594, *esperaunce* 776, *chaunge* 782; *puissaunz* Eq. 133, *tenaunz* Eq. 134, *demaundé* Bis 68, cet. Quare confirmatur, textum in Anglia scriptum esse.

Omnino autem videbimus, textum non iam dialectum normannicam tam puram, quam fuit in optimis linguae temporibus, exhibere; sed multas ei formas picardicas et burgundicas admixtas esse et ita quidem ut in carminibus formae picardicae, in libro de Purgatorio burgundicae frequentiores sint. Exempla ex unaquaque pagina colligi licet,

cernunturque maxime in usu diphthongorum *ei* et *ie*, quae quamquam *e* pura normannica praevalet, tamen non raro inveniuntur, maximeque in infinitivis verborum; cernuntur verum etiam in usu nonnullarum consonnantium, ut saepe more picardico *c* pro *ch* invenitur, *cief* Gug. 181, 187, *france* Gug. 214, *rice* Lanv. 552, *cier* Yw. 442, cet. Ubi de singulis formis agemus, plura exempla proferemus. Efficitur, textum eo tempore compositum esse, cum dialectus normannica formis picardicis et burgundicis misceretur. Fallot (p. 464) auctor est, dialectum normannicam intra annos 1200 et 1250 burgundicis, intra annos 1250 et 1230 picardicis formis mixtam esse; aliis locis (p. 295 et p. 327) accuratius dicit, formas picardicas intra annos 1230 et 1250 in dialectum normannicam introductas esse; quare iam ex eis, quae dixi, conici potest, textum operum Mariae, quem habemus, circa medium saeculum tertium decimum confectum esse. Admodum probabile autem est, iam Mariam ipsam formis picardicis usam esse, cum tam multis locis inveniantur, ut non facile omnes a librariis mutatos esse credere possimus. Itaque verisimile est, Mariam ipsam eo fere tempore scripsisse.

Quae ex universo sermonis habitu coniecimus, etiam eis quae de nonnullis orationis partibus animadvertemus, confirmabuntur. Atque primum de

articulo

pauca dicamus. Apud Mariam formae articuli definiti hae sunt:

Sing.		Plur.	
masc.	fem.	masc.	fem.
li	la	li	les
del	de la	des	des
al	a la	as	as
le	la	les	les

Formae purissimae sunt; *li* est constans forma nom. masc. sing. et plur., *le* accus. masc. sing. Exceptiones paucae reperiuntur, velut *le* nom. sing. masc. Gug. 693, 886; Fr. 328; Bis. 275;

le nom. sing. fem. Gug. 161, 569;
li acc. sing. masc. Fr. 158;

les nom. plur. masc. Pg. 75, 128;
li nom. plur. fem. Fr. 55;

quae partim librariis, partim dialecto picardicae irrepenti tribuerim, quae formas articuli non ita accurate distinguit (Burguy I, pp. 46, 56 sq.).

Formae liquiditiores *deu*, *du* pro *del*, *au* pro *al* rare reperiuntur, velut *du* Pg. 463, *aü* Gug. 318, 680, Pg. 1437; saepius tamen *u* pro *al* (*aü*), sed maxime in eis tribus carminibus (Gug. Lanv. Yw.), quae Roquefort a duobus codicibus descripsit, quaeque brevitatis caussa carmina deteriora vocabo. Exempla formae *u*: Gug. 164, 238, Lanv. 595 cet.

Articulus cum praepositionibus, ut fieri solet in dialecto normannica saepe coalescit, cuius rei exempla undique colligi possunt; res nihil habet insigne, tamen de forma *el* nonnulla dicam. Fallot (p. 45) eam antiquissimam dativi sing. masc. formam esse putat; Burguy (I, p. 50) duo ponit esse *el*, alterum dativi locum obtinere, alterum contractum esse ex *en* et *le*. Sed in exemplis, quae affert, *el* semper idem est ac *en le* praeter duo ex illo poëmate, quod Roman de Rou inscribitur, petita, quod poëma non ita correcte editum esse satis notum est. Equidem apud Mariam unum exemplum formae *el*, dativi locum obtinentis, inveni: Fr. 349; in reliquis semper idem est, ac *en le*, velut: Gug. 153, 187, 205, 264; Gug. 364, 439, 561, 620, 743, 871; Eq. 30, 37, 46, 57, 104; Fr. 200, 211, 246, 501; Bisc. 45; Lanv. 551, cet; Pg. 155, 159, 215, 341, 351, 422, cet. Omnibus fere locis cum nominibus loci vel temporis coniungi videtur et nescio an parum certum sit, formam *el* etiam dativi locum obtinere.

Omnino videmus, articuli formas apud Mariam eas esse, quae optimis linguae temporibus (ante medium s. XIII.) in usu erant et in eis ne picardicas quidem formas saepe inveniri.

Transeamus nunc ad

nomina,

(substantiva, adiectica, participia),

in quibus maxime videndum est, quas formas praebeat declinatio.

Lex illa, qua praecipitur, ut omnibus nominibus non in *e* femininum cadentibus, in nom. sing. et acc. plur. littera *s* addatur, optime observatur in hoc textu. Exceptiones sane non rarae inveniuntur et in carminibus deterioribus plura quam in aliis, velut Gg. 45, 82, 86, 166, 349; Eq. 121, 133, Eq. 195, 193; Fr. 5, 6, 42; Bis. 7, 12, 17, 138; Pg. 128, 302, 303, 327, 362, 363 cet., sed ea pro numero exemplorum legis observatae parvi momenti sunt, multaque fortasse in meliore editione codicum tollerentur.

Sed ad leges speciales veniamus. Fallot et Burguy nomina in complures ordines distribuerunt, cum alia alias ante litterum *s* flexionis subirent mutationes. Primus ordo, qui est nominum contractorum (Fal. p. 76; Burg. I, p. 68) et secundus, qui continet nomina a latinis in *-tor* cadentibus derivata (Fal. p. 82, Bug. p. 73), et ex tertio ordine (qui est nominum in *m, me, mp,* cadentium Fal. p. 88, Burg. I, p. 77) maxime nomen *hom, hum,* in unam quasi classem coniungi possunt, quoniam, ut ait Burguy (I, p. 80, cf. Fal. p. 94) legem declinationis etiam bonis linguae temporibus non stricte sequebantur. Nomen *hom hum* enim inde ab initio saeculi XIII, nomina duorum priorum ordinum circa medium illud saeculum in nominativo sing. per se satis distincto, illud *s,* abicere coeperunt.

Ita apud Mariam quoque fieri solet. Apud eam *hum hume* est forma nom. sing.; nusquam vidi *huns* vel *hons* (nisi in fabulis, quas semper excipio vd. supra).

Exempla nom. sing. *hum hume*: Gug. 157, 212, 255, 343; Eq. 138, 146; Fr. 19; Bis. 232; cet. Pg. 218, 233, 251, 349, 384, cet. produm Fr. 32, 115, 196; Pg. 9, 144, 505, cet. Plura exempla inutilia videntur, cum in omnibus illud *s,* abiectum sit.

Contra in duobus aliis ordinibus non ita saepe apud Mariam illud *s* abici videmus. Sola eius generis nomina, quae id faciunt, *Sire,* et *ber* esse videntur; *ber* fere semper sine *s* flexionis in nom. sing. inveni, velut Gug. 72; Bis. 15; Pg. 121, 639, 1524; *Sire* autem plerumque illud *s* servat velut Gug. 32, 211, 693; Fr. 12, 23, 43; Fr. 124, 194, 360, 366, 395; Bis. 121; Mil. 518; Yw. 220, 232, 246, 262, 283;

Elid. 498, 983, 995, 999, 1018 cet. Pg. 772; multo rarius *s* abicitur velut Gug. 231, 354; Eq. 134, Fr. 76; DA. 14; cet. Praeter haec duo nomina nulla e duobus illis ordinibus inveni, in quibus littera *s* nominativi sing. abiciatur.

Quoniam igitur in nomine *hum hume*, quod, ut aiunt grammatici, illud *s* (in nom sing.) iam priore parte saeculi XIII amittit, apud Mariam hic usus iam pro lege est, in aliis autem nominibus, quae circa medium id saeculum idem facere coeperunt, illud *s* apud eam plerumque servatur, iam ex hoc usu probabile fit, Mariam ipsam ante medium saeculum XIII vel certe non multo post scripsisse, cum etiam textus, qui exstat, non posterior esse videatur.

Quartus nominum ordo est eorum, quae littera *t* terminantur, quae pleraque a nominibus latinis in *as (atis)* exeuntibus et a participiis derivata, aut ipsa participia francogallica sunt. Ac primum animadvertendum est in hoc textu illud *t* prorsus abiectum esse; in solo libro de Purgatorio rara exempla servatur illius litterae reperiuntur et nescio an sola exempla haec sint: *peneit* et *iniquiteit*; Pg. 1775 et 1776, quas formas burgundicas esse apparet. In carminibus eius rei exempla non inveni et cum etiam in ea fabula quae est apud Tyrwhittium (introd. disc. to the Cant. tales §. XXXVI, n. 29) ea nomina vocali terminentur, codices illud *t* non habere videntur. Exempla non affero cum is constans sit usus. Atqui Burguy (I p. 213) illud *t* participiorum ait primum in dialecto picardica suppressam esse et inde ab anno 1250 fere in ea dialecto formas *t* non habentes solas esse in usu. Videmus igitur hanc scriptionem picardicam in textum operum Mariae transisse, dialectus enim normannica pura consonnantem servabat (cf. ibid.). Picardicae formae autem, ut ait Fallot (pp. 295, 377), intra annos 1230 et 1250 dialecto normannicae admisceri coeptae sunt; haud sane igitur hunc textum ante 1240 et ob constantiam scriptionis ne ante 1250 quidem confectum esse, credendum est. Cum etiam supra viderimus, non esse probabile, textum multo post annum 1250 scriptum esse, magis magisque confirmatur, quod iam supra

ex universo sermonis habitu coniecimus, textum hunc circa medium saeculum XIII. confectum esse.

Ceterum lex illa, qua praecipitur, ut in nom. sing. et acc. plur. *z pro ts* scribatur, apud Mariam magna constantia observatur. Exempla undique peti possunt, velut Gug. 33, 34, 87, Gug. 125, 126, 143, 144, 148, 189, 190, 192, ibid. 238, 257, 258, 333, 334, cet. Fr. 11, 12, 15, 16, 36, 75, 76, 92, 109 cet. Pg. 14, 19, 33, 79, 80, 81, 82, 84, 86, 87 cet. itemque per omnia carmina et librum de Purgatorio innumerabilia exempla adsunt, quaę proferre inutile videtur. Inveninutur loci, qui *s* pro *z* exhibent, sed maxime in carminibus deterioribus, velut Gug. 35, 36, 62, 144, Gug. 305, 312, 341, 397, 400, 401, cet. in aliis carminibus praeter Gug. Lanv. Yw. et in libro de Purgatorio tam rara ut librariis vel editori tribuenda videantur.

Usus supprimendi litteras *c*, *d*, *f*, *p*, ante litteram *s* non ita constanter observatur in textu, sed multae exceptiones animadvertuntur, exempla legis observatae nonnulla afferam: *la nes* Gug. 194, 623; *dras* ib. 179, cies 210, *blans* 257; *gas* Fr. 98; dras Fr. 184, 399; Bis 71, 171, *dras* Bis 285, D. A. 121, *gas* Pg. 442; *clers* Pg. 463 *ententis* 778, cet. Exceptiones: *coks* Fr. 154; *chamberlencs* Fr. 393; *blancs* Pg. 82, 709; *vifs* Pg. 849, 856; *griefs* ib. 871, cet. Burguy quidem (p. 85) ait illas litteras inde ab ineunte saeculo XIII. ante *s* supprimi; sed textus operum Mariae, certe multo posterior, tamen eas nonnunquam habet; res non satis explorata videtur, praesertim cum loci, quibus Fallot de hac re disputat, inter se pugnent (cf. Fal. pp. 98, 150, 174).

Quadruplici modo nomina in *l* cadentia declinantur; nam *l* ante *s* ant abicitur aut servatur (Fal. 95, 114, Burg. p 87) aut transit in *u* (Fal. 115, Bg. ibd.), aut supprimitur una cum illo *s*, substituiturque, pro *ls*, littera *x* (Fal. p. 125, Burg. p. 91). Ex quibus formis secunda (*ls*) et tertia (*us*) antiquissimae sunt, quas secuta est prima (abiectae *l*). Quarta forma (*x* pro *ls*) non ante medium saeculum XIII. in usum frequentem venit; Fallot (p. 127) auctor est, formas — *ox* et — *ix* etiam multo posteriores esse, sed Burguy (p. 92) eas non ab aliis distinguit; sed utcunque ea res se

habet hoc certum videtur, Mariam nunquam *x* pro *ls* scripsisse; nam in bonis carminibus (Eq. Fr. Bis. DA. Mil. Chait. Lst. Chev. El.) et in libro de Purgatorio paene nulla exempla reperiuntur; memini me duo vel tria videre, quae non notavi (praeter *vieux* El. 93), sed plus decem non esse pro certo affirmaverim, quae certe a Maria scripta esse non est verisimile, cum sexcenties *ls, lz, us* scripserit.

In carminibus deterioribus non rara sunt exempla, velut *vix* Gug. 251, Gug. 344, 349, *biax* 455, 548, 849, *max* ib 487, *hostex* 872 cet. *Lanvax* Lanv. 19, 32, 33, 67, 132, 138, 152, 207—210, 212, 213, cet. *chevaux* Lanv. 46, *biax* ib. 81, 110, cet. Yw. 102, 533 maleuerox (?) ib 402.

Etiam primam formam (abiecti *l*) saepius in uno carmine DA. inveni: *damiseas* DA. 71, 141, *danzeas* ib. 124, *beas* ib. 72, nonnunquam in El. velut 136, sed maxime usitatae et paene solae sunt in bonis carminibus formae — *ls* (sive — *lz* cf. Burg. 91) et — *us* quae sunt optimorum linguae temporum (usque fere medium saec. XIII.), velut —

ls Gug. 33, 228, 370, Eq. 29, 108; Eq. 137, 138, 147; DA. 20, 244, cet. Pg. 89, 101, 104, 121, 122, 125, 126, 153, 297, 349, 494, 634, cet.

—*lz* (scriptio normannica et burgundica) Gug. 212, 223, 224, 417; Eq. 35; Fr. 260; Pg. 31, 233, 243, 388, 443, Pg. 545, 596, 701, 864, cet.

—*us* Gug. 86, 356, 512, 693; Eq. 107, 110; DA. 67; Mil. 114, 215, 216, 285; Elid. 125, 160, 555, 654, 646, cet.

Videmus etiam in his nominibus, bonum usum apud Mariam valere necdum formas posteriores medio saeculo XIII. (velut *x*) introductus esse, quod optime convenit cum eis, quae supra coniecimus.

Nomina, quae derivata sunt a latinis in *x* cadentibus (Burg. 94), omnia fere apud Mariam in *z* exitum habent, velut *feiz* Eq. 194, Fr. 11, 271, 316; Bis. 29, 59; DA. 70; *voiz* Pg. 408, 828, *croiz* Pg. 487, 662; iam etiam scriptio picardica, *s*, animadvertitur, velut *peis* Gug. 30, *fois* Fr. 169, quibus impedimur, quominus textum multo ante annum 1250 compositum esse putemus.

De nominibus, quae littera *s* immutabili terminantur, nihil notandum esse videtur, nisi numerum eorum iam augeri eis nominibus, quae reiecta quadam consonnante ante litteram *s* flexionis hanc per omnes casus servare coeperunt; quae res, ut aiunt grammatici (Fal. p. 150, Bg. p. 96), medio fere saeculo XIII. usu venit; exempla pauca inveniuntur velut *gas* in cass. abl. Bis. 58; Gug. 220.

In aliis nominibus nihil mentione dignum inveni, nisi unam consuetudinem, cuius rationem reddere non possum, quae cernitur in eo, quod nomina propria saepius quam alia nomina non declinantur; exempla utriusque rei afferam:

*Oridial*s Gug. 33, *Gugemers* ib. 51; sed nom. *Gugemer*: Gug. 125, 154, 532, 658, 750, 839, 861, 874, 877;
Milun nom. sing. Mil. 9, 29, 52, 65, 123, 153, 236, 343, 373, 382, 411, 431, 469, 484, 519.
Eliducs nom. El. 47, 477;
Elidus nom. El. 103, 1145;
Eliduc nom. ib. 29, 137, 151, 185, 210, 271, 281, 539, 571, 654.

Haec fere sunt, quae de nominibus dicenda inveni, quaeque omnia efficiunt, textum hunc circa medium saeculum XIII. confectum esse.

De numeralibus

pauca dicam, cum ad defienindam textus aetatem utile nihil praebeant praeter numerale *deux*. Textus habet *dui*, *dous*, *deus; dui* est forma normannica, *dous* burgundica, *deus* picardica; exempla formae *dui*: Fr. 4, DA. 10, Pg. 1562, Pg. 1977; El. 794; *dous* maxime in libro de Purgatorio legitur, velut Pg. 1310, 1314, 2161, 1983, 2063. Frequentissima autem carminum forma est *deus*, cuius plurima sunt exempla velut Gug. 185, Gug. 188, 252, 667, 846; Eq. 132, 270; Fr. 11, 35, 41, 42, 70, 82, 84, 85, 469; DA. 3, 6, 195, 235, 240 cet.

Habemus igitur omnium dialectorum formas, sed picardicae praevalent, quare denuo coniectura nostra confirmatur.

Cum omnino nihil aliud agam, nisi ut, quo tempore textus confectus esse et fortasse Maria ipsa scripsisse videatur, investigem, de eis tantum orationis partibus loquar, e quarum formis quid pro aetate textus concludi potest, omnes que praetermittam, quae ad rem nostram nullius momenti sunt; itaque de reliquis numeralibus nihil dico sed transeo ad

pronomina,

ex quibus item ea eligam, quae concludendi facultatem faciunt.

Atque primum quidem forma nominativi pronominis primae personis maximas in textibus exhibet varietates, ut *ju*, *jou*, *jeo*, *jo*, *je*, *ge*, *gie*. cet.

Grammatici (Fal. p. 235, Burg. pp. 121 sq.), postquam formas ita distribuerunt, ut *ju* formam burgundicam, *jou* picardicam, *jo* sive *jeo* normannicam esse, reliquas posteriores optimis temporibus esse dicerent, tamen in nullo fere textu unam vel aliam solam inveniri, sed, quo puriores sint, eo vetustiorem esse textum aiunt. Atque Maria nullam aliam formam scripsit nisi *jo* sive *jeo*; in bonis enim carminibus semper *jo* et *jeo* in libro de Purgatorio semper *jo* reperimus.

Exempla formae *jeo*:

jeo Gug. 108, 328, 333, 337, 346, 457, 514, 549, 551, 554, 667, 673, 797, 821, 825, 842, 850, 853;
Eq. 70, 71, 74, 88, 95, 96, 97, 99, 100, 102, 126, 128, 129, 173, 175, 176, 218, 220, 243, 251;
Fr. 2, 79, 81, 110, 426, 441;
Bis. 34, 35, 41, 43, 47;
DA. 83, 90, 92, 176, 184, 187;
Yw. 3, 84, cet.

formae *jo*: Gug. 21, 138, 507; Eq. 71, 213, 268; Fr. 31; Bisc. 54; DA. 86, 194 cet. Pg. 17, 27, 29, 187, 379, 405, 539, 614, 630, cet.

Nescio multi ne sint textus, qui tantam formarum puritatem exhibeant. Videntur duo illi codices, Harleianus carminum (et fabularum cf. supr.) et Parisinus libri de Purgatorio, propter puritatem formarum simillimam scriptionis

Mariae imaginem praebere. Reliquos codices posteriores esse apparet, cum, ut omittam fabulas, etiam in carminibus deterioribus et *je* et *ge* inveniantur, quae (Fal. pp. 235, 237; Burg. p. 122) inde a medio saeculo XIII. in usum frequentem venerunt.

Exempla formae *je*: Gug. 402, 503, 516, 556, 820; Lanv. 116, 123, 165; Yw. 81; formae *ge*: Lanv. 609; Yw. 79, 83, 153, 249; in bonis carminibus praeter *jel (je le)* Fr. 466; El. 373, nulla exempla inveni.

Cum per has formas liceret, conicere, Mariam fortasse aliquantum ante medium saeculum XIII. scripsisse, vetamur id concludere habitu formarum pronominum tertiae personae. Nominativi quidem satis bene, se habent: masc. sing. *il*, plur. *il*; fem. sing. *ele*, plur. *eles*; formae depravatae *ils* et *elle* (Fal. pp. 249 sq.; Burg. I, pp. 127, sq.) rarissimae; nec habeo ex bonis carminibus exempla practer *ils* Eq. 5; *elle* Eq. 158 (in deterioribus *elle* saepe invenitur, velut Yw. 109, 169, 201, 209, 227, cet.); sed saepius iam *el* pro *ele*, quae forma maxime alterius partis saeculi XIII. est (Burg. 127) legitur, velut *el* Bisc. 32, 258; DA. 128; maxima vero conturbatio animadvertitur in formis casuum obliquorum horum pronominum. Grammatici enim (cf. Burg. 128) formas bonorum linguae temporum has esse dicunt:

	masc.	fem.
accus. a verbo pendentis	lo le	la lei lie
accus. a praepos. pd.	lui	lei lie
dativi	li	li

pro *lei*, *lie*, medio saeculo XIII. *li* scriptum esse (Burg. 129); *li* et *lui* inter se mutata esse mature (ib.), formam *li* praevalere circa finem eius saeculi. Apud Mariam autem nusquam aut *lei* aut *lie* sed semper *li* invenitur, quae forma cum sit medii saeculi XIII., huc usque omnia consentiunt cum eis, quae supra coniecimus; magnopere autem a puritate ceterarum formarum discrepat conturbatio formarum *li* et *lui*: In carminibus *li* longe praevalet, nec solum dativi utriusque generis locum fere semper obtinet, sed stiam accustativi a praepositionibus pendentis, quamquam in genere masculino etiam *lui* apud praepositiones non raro reperitur;

contra in libro de Purgatorio *lui* dominatur; semper enim cum praepositionibus coniungitur (cum plerumque de viris, non de feminis agatur, pronomina feminina fere nulla adsunt), et etiam dativi forma frequentissima est, quamquam *li* etiam invenitur. Exemplis nonnullis res illustrabitur:

Exempla,

1) ex carminibus petita
  a) dativi
    α) masc.
      αα) *li*: Gug. 144, 201, 303, 339, 365, 374, 410, 411, 425, 500, 501, 547, 548, 642; Eq. 23, 56, 57, 147; Fr. 17, 22, 24, 88, 252, 290, 363 cet. Ita plurimis locis;
      ββ) *lui*: Eq. 73; Bis. 190; Mil. 427; El. 454, 495, 569, 650, 721;
    β) fem. semper *li* velut:
      Gug. 249, 261, 287, 395, 419, 728, 830;
      Eq. 113, 114, 178, 203, 221, 237, 261;
      Fr. 42, 76, 105, 118, 119, 124, 215 cet.
  b) accusativi a praepositionibus pendentis
    α) masc.
      αα) *li*: Gug. 525, 643, 759, 785; Eq. 55, 88, 193, 205, 210, 266; Fr. 26, 90, 291, 313, 316; Bis. 38, 183, 188, 198, 244, 279, 290, 294; DA. 224; Mil. 292; El. 58, 366;
      ββ) *lui*: Gug. 194, 299, 622, 708, 754, 787; Eq. 304, 308; Fr. 320, 362; Bis. 102, 141; DA. 75, 177, 178, 206, 208, 221; Lst. 25; Mil. 103, 344, 415, El. 41, 49, 85, 274, 302, 514 cet.
    β) fem. praeter unum *od lei* Mil. 42 semper *li*:
      Gug. 253, 267, 363, 433; Eq. 49, 78, 114, 177;
      Fr. 120, 213, 217, 301; Bis. 249, 307; DA. 99 cet.
2) e libro de Purgatorio petita
  a) dativi
    α) masc.
      αα) *li*: Pg. 104, 219, 233, 302, 327, 476, 525;

ββ) *lui*: Pg. 13, 222, 224, 232, 237, 239, 247, 251, 255, 285, 288, 309, 529, 555, 562;

β) fem. *lui*: Pg. 2258 (unicum ex.)

b) acc. a praepositionibus pendentis

α) masc.

αα) *li*: Pg. 218;

ββ) *lui*: Pg. 197, 346, 349, 382, 383, 407, 409, 575;

β) fem. nulla inveni.

Quid hac formarum confusione faciamus? Qui codex, Harleianus an Parisinus (Purg.) propius ad similitudinem scriptionis Mariae accedere videtur? Equidem arbitror Mariam formas *li* et *lui* non mutasse sed utramque suo loco posuisse, mutationesque in utroque codice a librariis factas esse; quorum alter, qui codicem Harleianum scripsit (si quidem editio Roquefortii scriptionem codicum satis accurate exhibet), in accusativo saepius *li* pro *lui*, alter qui codicem libri de Purgatorio confecit, saepius in dativo *lui* pro *li* substituisse videtur. Quam coniecturam quo probabiliorem redderem, collegi omnia carminum exempla, in quibus *li* et *lui* in fine versuum posita sunt, quibus locis propter homoeoteleuton scriptionem mutare non licebat. In libro de Purgatorio idem facere non potui cum in eo formarum perturbatio in dativo tantum cernatur, et dativus pronominum personalium, ut natura procliticus, haud facile in fine versus ponatur; ubi tamen inveniatur certe formam absolutam vel, ut aiunt, disiunctam *(disjointe)* habebit, quam formam iam tum pronominibus fuisse contra grammaticos infra demonstrare conabor.

Atqui ex eis exemplis carminum cognoscitur, ubi in fine versus *li* cum praepositione occurrat, semper femininum esse, ubi pronomine masculino opus sit, semper *lui* inveniri. Legitur autem *li* in fine versus his locis:

Gug. 96, 120, 538, 571; Eq. 114, 177; Fr. 255, 301, 417; Bis. 249, 307; Lanv. 237, 454, 633; DA. 180; Yw. 241, 552; Lst. 28, 42; Mil. 192, 292, 456; Chev. 67; El. 366, 461, 654, 901, 1133.

In omnibus his locis, exceptis duobus Mil. 292, El. 366, ubi *li* masculinum est, *li* et femininum est et versus prae-

cedens vel insequens exit in *i* purum nec in *ui*, nec in *ie* (nam El. 793 certe *lui* legendum est), qua re efficitur, Mariam nec *lui* nec *lie* scripsisse, cum homoeoteleuta apud eam semper accurata sint (de terminatione —*ie* cf. DA. 1, 2; 5, 6); ubi prnomine masculino opus est, praeter duas illas exceptiones, quas supra notavi, semper *lui* legitur

Gug. 476, 7 *lui — amdui*,
Eq. 303, 4 *ambdui — od lui*,
ib. 307, 8 *autrui — sur lui*,
Mil. 415, 6 *encuntre lui — amdui*,
El. 41, 2 *de lui — autrui*,
ib. 443, 4 *autrui — a lui.*

Exempla formae *lui* in fine versus sane rariora sunt, cum lingua francogallica non multa vocubula in —*ui* cadentia habeat; contra maximus est numerus vocabulorum et formarum, quae puro *i* terminantur; cum nihilominus apud Mariam *li* in fine versuum fere semper sit femininum, facile conici potest, Mariam dubitasse in genere masculino *li* pro *lui* cum praepositionibus coniungere, quamquam homoeotelenton multo facilius fuisset, si formas mutasset. Sed utcunque ea res se habet, hoc certe ex eisdem homoeoteleutis efficitur, Mariam pro *lie* semper *li* scripsisse, quod novum argumentum est, Mariam circa medium saeculum XIII. scripsisse (Burg. p. 129.) Praeterea nonnullae anomaliae animadvertuntur, velut *lui* nonnunquam pronominis feminini locum obtinere (DA. 208; Yw. 36, 48, Mil. 199), aliaque, quae librariis tribuenda esse videntur.

Liceat mihi hoc loco aliquid proponere, quod a grammaticis neglectum esse videtur. Nec apud Fallotium nec apud Burguyum quidquam de origine eorum pronominum personalium, quae disjuncta (*disjoints*) appellantur, inveni; imo Burguy (I, p. 136) ea bonis linguae temporibus medii aevi in usu fuisse negare videtur. Equidem autem iam apud Mariam vestigia eorum pronominum invenisse mihi videor maxime his locis: Gug. 477 *il la salue e ele lui;* Bis. 23, *il amot li e ele lui;* Mil. 495 (*ad amée*) e *ele lui*; El. 574 (*l'amot*) *e ele lui;* cf. El. 1108, quibus locis mihi videtur probari, ea pronomina iam tum fuisse in usu.

Cum de pronominibus possessivis nihil amimadvertendum esse videatur, transeo ad demonstrativa, quorum formae aut simplices aut compositae sunt.

Fallot (p. 300) ait, dialectum normannicam optimis temporibus formis compositis non usam esse; quae ante annum 1250 fere inveniantur, plerasque burgundicas esse, quae postae, picardicas. Ita apud Mariam quoque formae compositae non ita frequentes sunt, quaeque reperiuntur, burgundicae sunt; velut *celui*: Gug. 748, 857; Fr. 415; Bis. 109, 242; Mil. 343; Chait. 47, 94; El. 417, 500, 545, 786; *ceus*: Bis. 188; DA. 43, 155; *ceus* El. 222, 247, 268, 757; Pg. 200 cet. Ita etiam his formis coniectura nostra probari videtur. Venio nunc ad pronomina relativa, quae apud Mariam ita se habent, ut *qui, ki* forma nominativi, *que, ke* forma accusativi, sing. et plur. masc. et fem. gen. sit, qui usus ex eo fere tempore, quo Villehardouin scripsit (1220–1230) pro lege est (Burg. 160). Sed adsunt exempla, in quibus *que* pro *qui* substitutum est, qui usus maxime dialecti picardicae est (Bg. 161) et circa medium saeculum XIII. in alias dialectos irrepsit. Codex Harleianus etiam plura exempla continere videtur, ud videmus ex eo carmine quod Fr. Michel (Tristan II. pp. 141 sqq.) ex eo descripsit. Sed quod maius est, formam *cui* apud Mariam nusquam invenio (praeter Yw. 515 et fabulas), quamquam grammatici dicunt (Bg. 161) *cui* etfor mam dativi esse et semper cum praepositionibus coniungi. Nescio an etiam hae formae mutatae sint, nam in fabulis *cuì* saepe invenitur nec incredibile est, nonnullas formas etiam in codicibus male transcriptis puras servatas esse. Sed priusquam meliorem editionem habeamus, talem rem disceptare quis audeat?

Cum reliqua pronomina nihil praebeaut, quod ad rem nostram pertineat, praeter pauca indefinita, quae in his animadverti brevi exponam.

Pronomen *tel* est uriusque generis (Fal. 389 Bug. 193), nec feminina forma *tele* ante 1240 reperitur. Ita apud Mariam quoque *tel* est generis communis; exempla, in quibus *tel* cum substantivis femininis coniunctum est, multa

sunt, in his: Gug. 100, 118, 449, 457; Eq. 19; Fr. 235; Yw. 51; Pg. 125, 127, 532, 572, 655 cet.

Tamen nonnulla exempla formae *tele* leguntur, velut Eq. 145; Bis. 46; DA. 137; El. 1024; Pg. 1054, 1539.

Videntur hae formae a Maria ipsa scriptae sesse, cum, si *tel* scribimus in plerisque his locis versus non recte se habent. Si autem Maria saepius *tele* scripsit, certe eam opera sua non ante 1240 vel 1245 composuisse credere possumus.

Contra *quel* apud Mariam semper generis communis esse videtur; exempla formae *quele* non inveni.

Quantopere codices inter se differant, ex formis pronominis *mult* conspicitur, in carminibus plerumque *mut*, contra in libro de Purgatorio semper *mult* reperitur; fortasse hic codex vetustior est quam ille.

Pronomen *maint* non ante 1230 in usum frequentem venit (Fal. 367); apud Mariam saepissime invenitur, maxime in fabulis; quarum paene unaquaeque exempla praebet itaque haud sane ante 1240 vel 1250 eam scripsisse putabimus.

Haec fere habui, quae de pronominibus dicerem, nunc ad

verba

transeamus. Cum in eis formis, quas hucusque tractavimus, certum ordinem constantiamque animadverterimus, ita ut concludendi facultas fuerit, verborum formae non eadem constantia certas leges sequuntur, sed textus operum Mariae formas ex omnibus dialectis congestas, et praeterea multas, quas explicare omnino non possum, habet; ut credere non possim, eas omnes a Maria ipsa scriptas esse. Quodque maxime mirandum videtur, formas depravatas tales, quales grammatici dicunt posteriores bonis linguae temporibus esse, non ita multas inveni, sed in aliis verbis formas omnium dialectorum mixtas, in aliis multas, quae nullo tempore usitatae fuerunt, de quibus ne grammatici quidem loquuntur animadvertimus. Quae ex eis editori, quae librariis, quae denique Mariae ipsi tribuendae sint, donec meliorem codicum editionem habeamus, haud facile quisquam diiudicet. Itaque de singulis uniuscuiusque verbi formis agere supersedebo,

satisque habebo paucis exemplis, quanta sit formarum perturbatio, ostendere.

Tertia persona sing. praes. ind. verbi *aller* has habet formas:

1) normannicas: *vat* Gug. 195; *va* Gug. 623;
2) picardicas: *vait* Gug. 285; Fr. 214; Bis. 12; DA. 625 cet.
3) Insulae Franciae formas:
   veit: Gug. 653; DA. 178;
   vet: Gug. 622; Eq. 103, 106, 264; Fr. 213, 219; DA. 626 cet.

Eadem forma verbi *pouvoir* hisce modis scribitur:
puet: Gug. 412, 488; Pg. 345, 548, 574;
peut: Gug. 615;
poet: Bis. 5;
peot: Gug. 734; Eq. 115; El. 330, 346, 432; El. 468, 481 cet.

Quae est ista forma *peot*? Burguy eum non commemorat, nec in exemplis, quae affert invenitur; nisi forte putamus eam a docto illo grammatico neglectum esse, hunc textum Roquefortii male se habere credendum est.

Similes variationes in verbo *vouloir* animadvertuntur multisque aliis, velut *connaître, tenir, faire* cet.

Itaque haec mitto paucaque de flexionibus et de nonnullis proprietatibus, quae plurium verborum communes sunt, addam.

Iam supra dixi in terminationibus infinitivorum saepe diphthongos pro vocali simplici dialecti normannicae inveniri; hoc maxime cernitur in infinitivis primae coniugationis, quorum fere totidem exempla formae —*ier*, quam —*er* proferri possunt, et tertiae coniugationis, in qua terminatio —*eir* etiam frequentior est quam —*er*.

Deinde in eis verbis quae a grammaticis fortia appellantur, aliae dialecti in sing. praes. ind. et in tertia persona plur. eiusdem temporis vocalem simplicem verbi in diphthongum mutant, normannica dialectus sola vocalem simplicem servat. Contra apud Mariam in eis formis multo saepius diphthongum, quam vocalem simplicem reperimus. Quae res maxime in verbis *venir, tenir* conspicitur, velut Gug. 69; Fr. 163, 172;

DA. 71; El. 65, 68, 87, 233, 260; Pg. 52, 110, 259, 672 cet., etiam in verbo *choir*, velut Gug. 103; DA. 196, DA. 230 cet.; *quérir* Gug. 843, multisque aliis. Sane hae formae ex confusione dialectorum originem ducunt, sed utrum a Maria ipsa ita scriptae sint necne, haud facile dici poterit.

Ex eadem dialectorum confusione ortae sunt nonnullae flexionum varietates, quarum paucas afferam. Quamquam apud Mariam quoque prima persona praes. ind. verborum nullam flexionem habet, sed ultima vocali vel consonnante verbi terminantur, velut *di* Gug. 180, *quid* ib. 322, *pri* ib. 335, 843, *muir* ib. 503, *voi* ib. 820, *requier* ib. 843, *quit* Eq. 70, *sai* Eq. 76; Fr. 2, *met* Bis. 64, *vif* ib. 65, *met* ib. 95, cet., tamen nonnulla exempla reperiuntur in quibus ea forma littera *s* finitur, maxime in verbo *être;* quamquam plerumque *sui* legitur, velut Gug. 317, 333, 351, 457, 514, 850; Eq. 92, 122; Fr. 485; Bis. 43; Pg. 10, cet., tamen etiam *suis* invenitur, Gug. 108; Yw. 73; Fr. 75 cet., quae forma burgundica esse videtur (Burg. 261).

Prima persona pluralis praes., impf., fut. in pura dialecto normannica exit in —*um* (—*ium* —*rum*); ita saepe etiam apud Mariam, velut: Fr. 82, 487; Bis. 158; DA. 8, 19; Chait. 230; El. 163, 164, 198, 840, 929, 930; Pg. 109, 141, 504, 784, 850 cet., sed multae etiam aliae formae leguntur, velut:

—*ums* (—*iums* cet.) Bis. 291, 292; El. 169, 170, 992, 998; Pg. 424 cet. — *uns* (—*iuns* cet.) Fr. 37, Law. 75; Pg. 91, 92, 120, 123, 783, 857, 865, 860; —*umes* El. 833, 834; —*om* Pg. 99; —*oms* ib. 184; —*ons* ib. 98, 106, 152, 156 cet.

Quae formae in dialecto normannica non ante medium saeculum usitata erant (Burg. I. 217; Fal. 295, 377.)

Secunda persona plur. omnium temporum exit in *z* et in hac scriptionem picardicam *s* non aimadverti.

Tertia persona sing. omnium temporum primitus consonnante terminabatur, in dialecto normannica littera *d*, in reliquis littera *t*.

In praes. ind. primae coniugationis illa consonnans iam priore parte saeculi XIII. abici coepta est (Burg. I, 215); ita etiam in hoc textu illud *d* vel *t* raro sevatum est, velut

apelet hum Fr. 230, Chait. 6; *cumencet* El. 1029; servatur autem in conjuntivo praes., velut *aimt*, *eimt*, Gug. 576; El. 463; Pg. 816, cet. *recleimt* Pg. 817.

In eadem forma futuri et perfecti illius, quod definitum vocant, et nonnullis aliis formis, velut tertia pers. praes ind. verbi avoir, illa consonnans in dialecto picardica iam priore parte eiusdem saeculi (Burg. I, 225, 231); in dialecto pura normannica per totum saeculum XIII. servabatur. Cum iam multis locis viderimus, textum hunc purum usum normannicum non sequi, etiam hoc loco non mirabimur, quod in eis formis aliis locis *d*, aliis *t*, aliis nullam consonnantem invenimus.

Puram scriptionem normannicam —*d* maxime in formis *ad*, *fud*, praeterea in nonnullis aliis maxime in libro de Purgatorio, invenimus, velut

ad Gug. 76, 148, 197, 206, 273, 305; Eq. 54, 55—59, 83, 100; Fr. 15, 23, 24, 33, 35; Pg. 9, 108, 137, 138, 239, 271, 272 cet;

fud Pg. 144, 190, 191, 195, 276, 331 cet; aliorum verborum exempla invenies Pg. 193, 236, 251, 575; saepius *t* pro *d* scriptum est, velut —*at* (perf. def.) Gug. 44, 127, 172, 220, 281, 472. Fr. 29, 185, 196, 209; Pg. 205, 209, 210, 223, 224, 269 cet.

Longe autem plurimis locis illa consonnans abiecta est, quae scriptio picardica, ut saepe dixi, prohibet, quominus textum multo ante medium saeculum XIII. confectum esse credamus.

Ob eas caussas, quas supra exposui, de verbis plura non dicam et ne de particulis quidem loquar, cum ad aetatem textus definiendam paene nihil idoneum praebeant.

Praeterea etiam satis mihi videor demonstrasse, non modo non obstare sermonis Mariae habitum formasque, quominus eam medio saeculo XIII. scripsisse putemus, sed si omnino ex eius sermone quid concludere velimus, nihil aliud nisi Mariam circa medium saeculum XIII. scripsisse, ex eo concludi posse.

Quod tamen Fallot (pp. 464, 469, 213) eam altera parte vel etiam versus finem eius saeculi scripsisse, putat, facile explicatur ex eo, quod de sermone Mariae maxime ex fabu-

larum textu, quem valde corruptum esse vidimus, iudicat, ut ex exemplis, quae affert, intelligitur, quodque omnino non animadvertisse videtur, in editione Roquefortii alias partes operum Mariae alias sermonis formas exhibere. Ceterum ne quid praetermitterem, quod ad rem illustrandam pertineret, comparavi sermonem Mariae cum sermone eorum actorum francogallicorum, quae sunt in collectione Rymerii (Foedera, Conventiones, Litterae, cet accur. Thom. Rymer et R. Sandersen Hag. Com. MDCCXLV), quae quo anno confecta sint, exploratum est, et inveni sermonem Mariae quam minime differre ab eorum actorum sermone, quae annis 1256, 1258, 1259 (ibid. I. pp. 377, 381, 383 cet.) confecta sunt. Itaque minime dubito, quin textus operum Mariae circa medium saeculum XIII. compositus sit.

Tota haec digressio mihi ideo necessaria videbatur, ne rursus atque rursus, quicunque alio tempore Mariam fuisse demonstrare conantur, ad sermonis eius habitum et formas decurrerent, atque inde argumenta peterent.

Cum ab hac parte nos tutati simus, iam quae alia ad aetatem Mariae definiendam valeant, videamus. Plurimi ex illis viris, quorum opiniones supra exposuimus, cum intelligerent, exploratis illis, quibus Maria opera sua dedicavisset, una etiam ipsius aetatem compertam esse, omnem fere in ea re operam consumpserunt; maximeque, quis esset ille comes Guilelmus, cui fabulae dicatae sunt, quaerebant. Hoc studio abrepti ad unum omnes, unicum locum, quo Maria ipsa rei, quam narrat, tempus describit, neglexerunt; locum dico illum, quem iam supra descripsi: Pg. 503 sqq.

El tens le Rei Estefne dit
Si cum nus trovum en escrit,
K'en Yrlande esteit un produm,
Chevaliers fud, Owens ont num cet.

Quem locum si Robert recte intellexisset, certe nunquam Mariam priore parte saeculi XII. viventem facere potuisset. Quis enim est, quin intelligat, Mariam hoc loco de tempore a memoria sua admodum remoto loqui? Tota dicendi ratio, tempora historica id declarant; deinde natura eius fabulae,

quam narrat, fert, ut non recenti memoria eam litteris mandatam esse credere possimus; habet enim historia libri de Purgatorio tantum miraculi, ut certe inter id tempus, quo res evenisse dicitur et id, quo ut miraculum narratur, non ita breve temporis spatium praeterisse necesse sit. Itaque satis certum videtur, Mariam de tempore a memoria sua admodum remoto loqui. Sed ne minima quidem dubitatio relinqueretur, Maria ipsa addidit: *si cum nus trovum en escrit*, et aliis etiam eius libri locis (v. 1401, v. 2058) auctorem aliquem appellat; eis autem temporibus, quibus res gestae et antiquae fabulae maxime hominum memoria posteris tradebantur et nulla fere historia erat, res aliqua tum demum litteris mandari solebat, cum iam diu esset in ore hominum versata, memoriaque eius iam oblitterari coepta esset. Plerique scriptores eorum temporum eam esse rationem, cur scripserint, expressis verbis dicunt (in his Maria ipsa El. 1174, Bis. 318). Atque eo magis Mariam longo intervallo post, quam rem evenisse dicit, scripsisse arbitror, quod ipsa iam non ex hominum memoria, sed ex libris hausit. At saepe audivimus, scriptores veteres francogallicos saepe per speciem doctrinae auctoritates librorum prae se ferre, quos ipsi nunquam vidissent. Sane quidem id nonnunquam factum esse potest, tamen in unoquoque scriptore prius demonstrandum erit, cadatne in eum illa propositio. Etiam Mariae saepe fides derogata est, non credebant ei, cum diceret, se ex traditionibus celticis haurire; probatum est, eam recte dixisse; diffidebant ei, cum diceret, se latine scire, demonstravisse mihi videor, eam vera referre; dubitabant denique de versione illa anglica, quam se vertisse dicit, sed confirmatum est, et hanc extitisse.

Itaque et in hac re fidem ei habendam esse censeo, praesertim cum eam rem iam tum libris latinis tractatam esse, constet. (Roquef. II, pp. 403, 404.)

Satis igitur certum esse videtur, Mariam longo intervallo post aetatem regis Stephani, quo regnante, quae narrat accidisse dicit, scripsisse; regnavit autem Stephanus ex anno 1235 usque ad annum 1254; itaque non verisimile est, Mariam multo ante medium saeculum XIII. scripsisse. (Roquefort librum de Purgatorio ante annum 1245 scriptum esse dicit,

sed rationem sufficientem non affert. II, 410.) Sed ne iusto plus conclusisse videar, tantum posco, ut hoc mihi concedatur, Mariam certe nec Stephano nec eius successore, Henrico II., regnante haec de tempore regis Stephani narrare potuisse, nec in narrando eis verbis, quae legimus, uti. Cum autem nec Stephano, nec Henrico II. regnante eam scripsisse credere possimus, fortasse tempore Richardi I. aut Johannis eam fuisse aliquis dixerit. Sed Maria ipsa de rege quodam loquitur, ad quem carmina misit; itaque hic mihi locus esse videtur quaerendi, cui regi Maria carmina dedicaverit.

Ac primum quidem dubitari non potest, quin Angliae cuidam regi carmina dicata sint; id iam de la Rue et Roquefort probabile reddiderunt, cum dicerent, Mariam certe, si regi Francogalliae carmina scripsisset, nec vocabulis anglicis in libro usuram, nec nomina celtica velut *Laustic,* nedum francogallica velut *Chevrefoil* in sermonem anglicum versuram fuisse. Praeterea cum supra demonstraverimus, eam in Anglia vixisse, non est verisimile, eam alii potius regi, quam ei, cuius praesidio frueretur, in cuius potestate esset, gratificatam esse; praesertim cum eis temporibus fere semper bella inter reges Angliae et Francogalliae gererentur. Quod, ut infra videbimus, equiti Francogalliae fabulas dicavit, eius rei aliae rationes esse potuerunt, fortasse e rebus domesticis et privatis oriundae; at regi certe Angliae maiora quam Francogalliae debuit, cum esset illius civis. Denique satis notum est, reges Angliae magnopere favisse poëtis normannicis plurimosque ex his ad eorum aulam vixisse.

Quare cum dubitari non possit, quin Maria carmina ad regem quendam Angliae miserit, facile iam, quis fuerit ille rex, investigare poterimus. Vidimus Mariam certe post Henricum II. fuisse; atqui Richardo primo eam carmina dicasse non est probabile, cum is per totum fere regni tempus extra patriam moraretur, nec denique Johanni, qui semper aut bella gereret, aut cum civibus suis simultates haberet, ut apud neminem in gratia esset minimeque illa verba, quibis utitur Maria (prol. l. v. 45)

A ki tute joie s'encline
E en qui quoer tuz biens racine,

in eum caderent. Contra optime omnia consentiunt, si Henrico III. Mariam carmina dedicasse concludimus, quem maxime poëtis favisse et cuius tempore plurimos etiam poëtas floruisse satis constat. Ceterum plurimi in hac re viri docti censentiunt (fere omnes, de quibus supra diximus, multi praeterea alii velut G. Ellis Specimens of early english metrical romances Lond. 1811 I, 144), et quoniam etiam eis, quae infra de tempore, quo fabulae scriptae sunt, disputabimus, confirmabitur, satis exploratum esse videtur, Mariam carmina ad Henricum III., Angliae regem, misisse.

Quae cum ita sint, sequitur etiam ut carmina non ante annos 1230 vel 1240 scripta sint. Verba enim, quibus Maria regem alloquitur, ea sunt, quibus nemo de puero vel admodum adolescente, etiam si rex sit, utetur; adiectiva *pruz* et *curteis* sunt epitheta propria equitum in ea aetate, qua maxime rebus gestis florent, quibusque regem admodum iuvenem designari credi non potest, nec certe quisquam eis verbis, quae modo odescripsi, puerum alloquetur. Henricus III. autem, cum regnum adpisceretur, anno 1216, vix decem annos natus erat, itaque cum Mariam ei tum demum, cum esset aetate corroborata, carmina dedicasse, credendum sit, sequitur, ut carmina haud facile ante annos 1230 vel 1240 scripta sint. Quod eo probabilius est, cum etiam textum operum Mariae circa medium saeculum XIII. scriptum esse viderimus et cum ita facilius explicari possit, cur, quae tempore regis Stephani accidissent, e libris se cognovisse dicat. Plana autem et certa res fiet, postquam, quis fuerit ille comes Guilelmus, qui in fabulis commemoratur, viderimus.

Atque ut supra vidimus, Le Grand d'Aussy Guilelmum, maritum Margarethae, quae anno 1244 Flandriam obtinuit; de la Rue, Roquefort, Rothe, Guilelmum, filium Henrici II. Angliae regis; Méon et Reiffenberg Guilelmum, filium illius Margarethae, proposuerunt. Illa priora nihil nisi coniecturae sunt, Méon et Reiffenberg certo loco ex poëmate de Reinardo coronato petito nituntur; itaque maxime de eo loco atque eius sententia agendum erit. Iam supra dixi, illud poëma, quod inscribitur: *Le Couronnemens Renart, qui par son engin Rois est coronés*, editum esse a Méenio (Le Rom. du Ren. t. IV,

p. 1 sq.), continere satiram in fratres minores et iacobinos, quorum auxilio adiutus vulpes Reinardus regno animalium potitus esse narratur; scriptum esse ad honorem Guilelmi, comitis Flandriae, auctorem adhuc ignotum esse. A Rothio demonstratum est, poëma altera parte saeculi XIII compositum esse atque iure, ut infra videbimes; eiusdem opinionis sunt omnes fere viri docti, velut Méon (l. l. I·p. vii) Graesse (Allg. Litteraergesch. II 3, p. 44); Robert, accuratius circa annum 1280 poëma compositum esse iudicat (Fab. inéd., I, p. cxxviii). Delepierre (Le Rom. d. Ren. traduit etc., Paris, 1845, pp. 78, 139) satis habet a Roberto et Méonio describere.

Huius poëmatis locus ille, qui in questionem venit, quemque iam supra attuli, hic est:

vv. 3360 sqq.
Et pour çon dou Conte Guillaume
Qui ceste honor eut encharcie,
Pris mon prologue com Marie,
Qui pour lui traita d'Jzopet.
Et pour itant ici fin met,
De Renart cet.

Ex his versibus, [4] Mariam fabulas ad eundem comitem Guilelmum misisse, ad cuius honorem hoc poëma scriptum est et Méon et Reiffenberg concluserunt, Méon praeterea poëma a Maria ipsa compositum esse coniecit, quam rem Reiffenberg non diiudicavit. Rothe utramque conclusionem improbat. Sed nisi verbis illis vim afferre volumus, locus non aliter verti potest, nisi hoc modo: Et pro eo (ad honorem) comitis Guilelmi, qui hunc honorem sibi expetivit, prologo usus sum sicut Maria, quae pro eo Aesopum tractavit. Sententia plana ac manifesta est; Rothe autem cum opinionem suam hac interpretatione refelli videret aut illud *pour lui* idem esse ac *„un personnage tel que lui“* (l. l. p. 348) aut auctorem poëmatis in errore versari, dixit. Sed quo iure illud prius statuerit, non dicit, et certe rationem afferre eius interpretationis non ita facile erat; *pour lui* significat pro eo, ad eius honorem, nihil aliud; si igitur auctor poëmatis haec ita, ut legimus, scripsit, tum certe nihil aliud dicere voluit, ac quod vertimus. Auctor autem re vera ita scripsit, primum enim codex eum locum ita, ut est

in editione Méonii, habet, nam antequam id poëma a Méonio typis impressum est, iam Robert (Fab. in I, p. CXXIX) eum ita ex codice descripsit, editio ita habet, nec denique P. Chaballe (Le Rom. d. Ren. Suppléments, Variantes et Corrections, publiés d'après les manuscrits cet. Par. 1835), qui editionem Méonii ex codicibus recognovit, variasque lectiones collegit atque edidit, quidquam de eo loco corrigendum invenit. Imo vero auctorem ita scripsisse necesse est, nam cum in fine eius poëmatis fabulas Mariae addat (sequuntur enim in eodem codice), his verbis ipsis et eis quae praecedunt et insequuntur, rationem affert, cur Mariae fabulas addiderit, dicit enim inde a versu 3328[a] usque ad finem, se aegre ferre, quod et Guilelmus, et is, quem appelat „*Marchis de Namur*," tantopere astutiam (*renardie* v. 3331, vv. 3383, 3390) despiciant, cum tamen nemo plane ea carere possit (3389); itaque, ut dominum suum hanc artem doceat, se fabulas Mariae ei proponere. Cur autem potissimum has fabulas ad id propositum elegerit, eis ipsis versibus, de quibus agimus, exponit, cum dicat, eas ad eiusdem comitis Guilelmi honorem, quem ipse poëmate suo celebraverit, scriptas esse. Videmus igitur, verba ita ut sunt, in contextu necessaria esse. Rothe praeterea auctorem erroris accusavit, sed non modo rationem nullam affert, sed ex multis locis concludendum est, auctorem optime novisse quae scriberet. Nam et fratres Guilelmum et Guidonem,[b] optime novit, quod intelligitur ex versu 3361, in quo dicit, se a Guilelmo rogatum esse, ut scriberet, et ex versibus 3328 sqq. aliisque, in quibus indolem ac mores fratrum describit; et res domesticas etiam et privatas ipsorum atque eorum domus penitus novit, ut intelligitur ex eis versibus (vv. 74 sq.), quibus narrat, quomodo Guilelmus mortuus sit. Itaque etiam necesse est, eum scivisse, utrum ad eum, an ad alium Maria fabulas misisset. Fortasse etiam Mariam ipsam novit, sed demonstrari ea res non facile poterit. Omnino autem ex eo, quod et in hoc loco et a Dionysio Pyramo simpliciter Marie appellatur, efficitur, eam eo tempore omni-

---

[a] cf. pag. 49 et sq.

[b] cf. pag. 48.

bus notam fuisse; concludi potest, etiam notum fuisse, ad quem opera sua scripsisset, nullumque auctorem ausurum fuisse, falsa de ea, vel de amicis eius proferre. De auctore poëmatis Reinardi autem eo minus id credi potest, cum is ad eius Guilelmi fratrem quoque scriberet, cui certe falsa de ipsius fratre nunquam proponere potuit (cf. vv. 3328 sq., 3338.) Quare dubitari non potest, quin ex hoc loco efficiatur, Mariam fabulas eidem comiti Guilelmo dedicasse qui in poëmate de Reinardo celebratur. Quis autem ille Guilelmus fuerit, in eo omnes vii docti consentiunt; nam ex versu: *Qui jadis fu Contes de Flandres* (v. 7 vid supra) intelligitur, eum Guilelmum Flandrum fuisse; in versibus, qui sequuntur, poëta queritur, quod Guilelmus mortuus sit et versibus (81 sqq.)

— la mort au Conte troverent
Et fisent tant, qu'il la proverent
A un tournoi, où li Cuens fu, cet.

docemur, eum in certamine equitum interfectum esse. Atqui unum illum Guilelmum, filium Margarethae, constat in certamine equitum mortuum esse.

Huius Guilelmi mater Margaretha (filia Balduini IX.) primum nupta erat equiti cuidam, cui nomen erat Bouchard d'Avênes, quocum duos filios procreavit; postea autem illud matrimonium diremtum est, atque Margaretha anno 1218 nupsit Guilelmo de Dampierre (Art de vérifier les dates v. XIII, p. 322), quocum tres filios habuit, Guilelmum, Guidonem, Johannem; Guilelmus etiam Margaretha vivente comes Flandriae appellabatur (Joinville eum semper comitem vocat): sed non pater eius, cum iam tribus annis ante quam Margaretha Flandriam obtineret, mortuus esset (ib. p. 323). Non multo post quam Margaretha (1244) sorori Iohannae successit, fratres ex secundo matrimonio suscepti cum eis, qui e primo procreati erant, de hereditate inter se rixari coeperunt, cumque Guilelmus anno 1251 in curriculo quodam equorum apud oppidum Hanoniae, cui nomen est Trasegnies, subito mortuus esset (Art de vérif. etc. l. l. p. 323), plerique eum insidiis fratrum uterinorum interemptum esse, suspicati sunt; Matthaeus Parisiensis etiam expresse dicit: Willielmus... in quodam

torniamento exstitit interfectus. (Op. Par. 1644 l. III, p. 594). Item auctor poëmatis de Reinardo coronato suum Guilelmum insidiis interfectum esse, ait:

v. 74 Ne povoit l'ostel aporchier
Mesdis, envie, ne orgeus,
Que tous jours ne fussent escheus
Do sa Cort, tant com il vescui,
C'il troi traïtour que jou di,
Si qu'en la fin tant pourcacierent,
Alerent, vinrent, chevaucierent,
Que la mort au Conte troverent (etc. v. sup.).

Si igitur iam ex eis, quae dixi, satis apparet, comitem Guilelmum, qui in hoc poëmate celebretur, nullum alium esse, nisi comitem Guilelmum de Dampierre, filium Margarethae II., res etiam certior fit ex his versibus:

v. 3324 Ha! Cuens Guillaume, conquerant
N'esties mie fors que d'onor
A droit en vos tint a singnor,
Et çou fu drois a mon avis,
N'est merveille se li Marchis
De Namur de çou vos resanble,
Car onques jour, si com moi sanble,
N'eut que faire de renardie,
Mais sans faille jou ne di mie
C'aucune fois ne puet bien iestre
Que Renars ait dedens son iestre
Esté par aucune maniere
De ciaus quil savoit lour maniere
Qui bien s'i sont arenardi.
Ha! sire Cuens, ce poise mi
Que tant ne saves dou Renart,
Par coi seussises tempre on tart
Qui cil sont de coi je paroil, cet.

Quibus versibus auctor primum comitem Guilelmum alloquitur, cuius simillimum esse ait marchionem de Namurco, cum ne is quidem satis astutia utatur, quamquam non plane ea carere videatur; tum autem iterum Ha, cuens! sequitur, quod mea sententia non ad Guilelmum sed ad marchionem de Namurco referendum est, cum auctor, ubi de Guilelmo mortuo loquitur, temporibus historicis *(estiés-tint-fu)*, hoc autem loco

praesenti *(savés)* utatur, sicut supra, ubi demar chione loquitur *(resanble)*. Is autem marchio de Namurco sine ulla dubitatione est Guido, frater Guilelmi, qui, ut est in eo libro, quem saepius commemoravi (Art de vérif. l. dates, p. 325), ex anno 1263 comes de Namurco appellabatur; contra Rothe (op. l. p. 346) eum marchionem de Namurco appellatum esse ait; quaeritur, utrum Guido ante annum 1263 marchio postea comes de Namurco appellatus ait, quae res ad, tempus quo poëma compositum est, accuratius definiendum valere possit, an duo ea nomina promiscue in usu fuerint; mihi quidem, quamquam rem perspicere non potui, veri simillimum videtur, dignitatem quidem marchionis Guidoni fuisse; comitem autem et eum et antea Guilelmum appellatum esse urbanitate quadam ob matris viventis honores (quem morem Angli voce, „in courtesy" signicificant); quae res et hoc loco, in quo idem vir et marchio et comes nominatur, confirmari videtur. Sed utcunque ea res se habet, illud negari non poterit, hoc loco Guidonem, fratrem Guilelmi de Dampierre, designari, eoque magis probari, poëma de Reinardo coronato ad honorem comitis Guilelmi illius scriptum esse. Cum autem ex eo loco, quem supra tractaviums, Mariam quoque fabulas suas eidem Guilelmo dedicasse cognoverimus, restat ut doceam, quatenus hoc cum Mariae ipsius verbis ad virum illum pertinentibus consentiat. Ex versibus, quos supra descripsi (pag. 3 et 4), apparet, Mariam duobus locis de illo viro, cui fabulas dedivavit, loqui, quorum altero (prol. fab. v. 31 sq.) *flourz de Chevalerie, d'enseignemenz, de courteisie,* altero *le plus vaillant de cest royaume* eum appellat (epil. fab. v. 10). Utroque loco de la Rue opinionem suam fuisse illum Guilelmum filium Henrici II., Angliae regis, et Rosamundae confirmari dixerat, cum *cest royaume* ad Angliam, ubi Maria viveret, referendum esset et illa verba, *flourz de Chevalerie*, fere eadem essent, quibus is Guilelmus in elogio sepulcri designatus esset (flos comitum). Sed iam supra demonstravimus, illud cest royaume ad Fraunce, quod proxime antecedit, referendum esse et ob eam rem comitem Guilelmum Francogallum fuisse; Guilelmus autem de Dampierre, cui nos Mariam fabulas dedicavisse statuimus, optime Francogallus dici potuit,

cum comitatus Flandriae sub imperio regum Francogalliae esset (Margaretha ipsa anno 1244 Parisium profecta est, ut in Ludovici IX. verba iuraret, Art. de vér. l. l. p. 322) et Guilelmus ipse Ludovicum IX. atque eius exercitum im Aegyptum secutus esset (ibid. p. 323). Quod de le Rue dixit Guilelmum suum in sepulcri carmine eisdem, quibus a Maria, verbis laudari, hoc nullum argumentum est, cum etiam Guilelmus de Dampierre eisdem fere laudibus saepius celebretur (cf. poëma de Rein. cor. v. 58 et locum ap. La Serna Santander, Biblioth. de Bourg. p. 7.) Videmus igitur, verba Maria, quamquam certi nihil doceant, tamen non modo non, pugnare sed optime congruere cum nostra opinione.

Quare cum satis exploratum videatur, Mariam fabulas comiti Guilelmo de Dampierre, filio Margarethae II., Flandriae comitis, dedicasse, iam facile ex huius aetate, quo fere tempore fabulae scriptae sint, concludere possumus. Quamquam enim invenire non potui, quo anno Guilelmus natus esset, tamen certe non ante annum 1218, quo anno Guilelmus de Dampierre Margaretham in matrimonium duxit (vid. sup. p. 48), natus esse potest. Atqui credi non potest Mariam homini peradolescentulo librum dedicavisse; imo vero verba: *le plus vaillant de cest royanme,* indicant eum iam satis corroborata aetate fuisse, cum Maria scriberet, ergo haud sane ante annum 1240 vel 1245 fabulae scriptae esse possunt. Rursus eo tempore quo Maria fabulas vel certe prologum fabularum scribebat, Guilelmus in vita erat, nam Maria, ubi de eo loquitur in prologo fab., temporibus praesentibus utitur, velut: *ki flourz est* v. 31, *semunt* v. 30, *ke tiegne* v. 36, *deit fere* v. 37; Guilelmum autem anno 1251 mortuum esse vidimus, certe igitur ante annum 1251 Maria fabulas scripsit, aut scribere instituit. Verisimillimum videtur, Mariam fabulas circa annum 1248, quo tempore Guilelmus maxime florebat, et virtutis suae specimen dabat, cum Ludovicum IX. in Aegyptum sequeretur, scripsisse.

Carmina Mariae paullo ante fabulas composita esse videntur, cum Dionysius Pyramus, quamvis valde Mariam laudet, nulla opera ab ea facta praeter carmina, commemoret; cum autem ex eis, quae supra dixi, coniciendum

sit, non multum temporis inter carminum et fabularum confectionem intercessisse; facile ut circa annos 1244 et 1245 carmina esse composita credam, adducor. (Cum autem in eodem libro in quo Mariae mentionem facit Dionysius Pyramus se senescere dicat (mes jurs jolifs de ma joefnesce Sen vunt si trey-jeo a vieilesce vid. Fr. Michel-Rapp. au ministre p. 250), iam cum Mariae aetas satis explorata videatur, ex ea Dionysii aetas obiter definiri poterit, sed nunquam Mariae aetas ex illius).

Quando autem liber de Purgatorio compositus esset, indagare non potui. Roquefort quidem (Poés. de Marie d. Fr. II p. 419, 410) eum ante annum 1245 compositum esse affirmavit, sed ne minimum quidem argumentum addidit; nec quis fuisset illae „beaupière (v. 16), cuius precibus adductum se librum scripsisse dicit, inveni; tamen probabile est, hunc librum ultimum Mariae opus esse et fortasse, cum esset iam aetate provecta, confectum esse; tum enim moris erat apud nonnullos scriptores, cum in iuventute carmina amatoria scripsissent et fortasse etiam leviorem quendam vivendi morem secuti, essent, ut ingravescente aetate magis ad graviora et severiora studia religionesque inclinarent. Insigne eius rei exemplum est idem Dionysius Pyramus, quem saepe commemoravi, qui (l. sup. l.), ubi de cantiunculis, quas fecerit, loquitur cum alia tum haec dicit:

Ceo me fit fere le enemy — et:
Si est biendreit, que me repente
En autre ovre metterai m'entente cet.,

itaque se vitam Sancti Edmundi narraturum esse. Quae res cum etiam in aliis scriptoribus animadvertatur, et animi humani natura ferri videatur, ideo Mariam quoque, in iuventute leviora studia secutam, cum aetate provecta esset, memoriae virorum sanctorum rebusque, quae de eis narrarentur, operam dedisse et librum etiam de Purgatorio scripsisse crediderim. Quamobrem hunc librum compluribus annis post annum 1250 scriptum esse arbitror, sed certius tempus definire non possum.

Quae cum ita sint, cum iam, quatenus fieri adhuc posset, satis accurate, quo tempora Maria opera sua scripsisset, investigasse, mihi videar, restat, ut de opinione eorum, qui

etiam poëma de Reinardo coronato a Maria compositum esse dicunt, pauca dicam. Apparet hoc poëma, cum necem Guilelmi anno 1251 factam describat, altera parte et fortasse non multo ante finem saeculi XIII. confectum esse. Cum igitur, si Maria et hoc poëma composuisset, sequeretur, ut fortasse multo post medium saeculum XIII scripsisset, neve praeterea quid ei tribuamus, quod nunquam ab ea scriptum sit, necesse est, doceamus, illud poëma non a Maria scriptum esse.

Ac primum quidem maxime mirandum est, quod omnino fuerunt, qui id crederent a Maria esse compositum. Nam ex loco illo (*qui pour lui traita d'Izopet v.* 3363), ex quo Méon et alii id concluserunt, efficitur e contrario, Mariam poëmatis auctorem non esse. Recte enim locus non aliter verti potest, ac supra feci, prologo usus sum sicut Maria (sive eodem quo Maria), quae pro eo Aesopum tractavit, ex qua interpretatione efficitur, auctorem poëmatis de Reinardo coronato se cum Maria comparare et ob eam rem distinguere. At multi scriptores, inquit Méon, et Maria ipsa in carmine de Gugemero (v. 5), tertia persona de re ipsis locuti sunt; itaque et hoc loco factum esse potest. Illud sane recte se habet, sed nunquam fieri potest, ut aliquis in eadem sententia de se ipso et in prima et in tertia persona loquatur; hoc ab omnibus, qui de ea re disputaverunt, neglectum est; *pris* est forma primae personae, *traita* tertiae, qua ipsa re illorum opinio refutata est. Sed multis aliis de caussis illud poëma a Maria compositum esse non potest. Primum enim omnia Mariae opera dialecto normannica composita esse vidimus, poëma de Reinardo coronato dialectum picardicam habet, plurimaque, quae eius dialecti propria sunt (cf. Burguy op. l. I. p. 18), in eo inveniuntur, velut: *ch* pro *c* aliarum dialectorum (*forche v.* 23. *chiaus* v. 104, *Prercheval* v. 106, *rechevoir* v. 286 cet.), *ou* pro *o* (*çou* v. 12, 17, 64, 157, 173 cet. *jou* 56, 78, 126, 153, 170, 191 cet.), *s* pro *z* (quod maxime cernitur in formis participiorum et in secunda persona pluralis verborum, velut-*es* pro-*ez* in partt. 345, 347, 348, 491 cet, in sec. pers. verb. 176, 183, 282, 296 cet.), *ie* pro *e* (ut *iestre* 14, 165, 211, 386 cet.), quae comparatio per totum poëma contiunari potest, cum dialectus picardica in toto sibi constet. Minime autem veri si-

mile est, quod Reiffenberg (l. l.) proposuit, potuisse Mariam in utraque dialecto scribere. Deinde sermo apud Mariam simplicissimus et narrationi aptissimus in illo poëmate multo sublimior est et ornatior; multae in eo inveniuntur compellationes et anaphorae (velut *Ha! Cuens* v. 3324 *Ha! sire Cuens* v. 3338; anaphoras vide vv. 31—38, 3244—3264, 3272—3302); apud Mariam compellationes nullas, anaphoram unam inveni Lanval vv. 207—210. Tum poëma de Reinardo coronato est satira in fratres quosdam, auctorque fere nullam irridendi occasionem praetermittit, Mariae opera eiusmodi fere nihil continent, ne in fabulis quidem, quae optimam occasionem praeberent. Maria praeterea in tanto numero fabularum nunquam nominibus propriis bestiarum ut Reinardo, Isengrimo sed semper nominibus appellatioris (*lou, leu, goupil*) utitur, contra in illo poëmate ea nomina et multa inusitata semper inveniuntur, quam ob rem iam J. Grimm (Reinhart Fuchs p. CXCIX) dubitavisse videtur credere poëma a Maria esse compositum, (idem p. CXLVII labitur, cum dicat, poëma ante annum 1250 compositum esse). Robert (p. CLVI), inde concludebat, Mariam eo tempore scripsisse, quo illa nomina nondum usitata essent, quod mihi quidem non sequi videtur, sed multo probabilius est, Mariam tam popularem dicendi morem consulto vitasse. Denique quae omnem dubitationem tollunt, haec sunt. Maria in unaquaque operum parte se auctorem esse tam disertis verbis dicit, ut nulla dubitatio esse possit; contra in poëmate de Reinardo coronato id non factum est; sed illum locum (v. 3362) aliter intelligendum esse vidimus. Maria id non oblita esset, nam se consulto se ipsum nominare dicit causamque addit: *Cil uvre mal qui sei ublie* (epil. fab. v. 8). Tum etiam in eis locis, ubi Maria de se loquitur, adiectiva et participia formam femininam habent: *requise* (prol. fab. v. 33, homoeotelent. *guise*) *vileine* (ibid. v. 36, hom. *peine*); *requise, entremise* (Pg. 9. 10). Contra in poëmate de Reinardo coronato participia, quae ad auctorem referenda sunt, formam masculinam habent: *m' est pris* (v. 11), *sui amors* (v. 132 hom. *mors.*). Multae praeterea rationes afferri possunt, sed haec iam satis demonstrant, poëma de Reinardo coronato nullo modo a Maria Francica compositum esse posse. Quod attu-

lerunt, in codice eius poëmatis fabulas Mariae cum illo coniunctas esse, id ab auctore ipso satis explicatum esse iam supra (p. 47) ostendi. (Graesse, Allg. Litteraergesch. II. 3. p. 474 labitur, cum de compluribus huius poëmatis codicibus loquatur; unus omnino exstat; Par. Bibl. d. Roi no. 7534, 3. 3. Hoc ideo notandum mihi videbatur, quod auctor ex constantia illa, qua fabulae Mariae in codicibus cum illo poëmate coniunctae sint, argumentum petit.) Omnis igitur opera, quam dederunt, ut poëmati de Reinardo coronato auctorem quaererent, adhuc perdita videtur.

Iam cum ad finem huius quaestionis pervenerimus, paucis verbis, quae de Maria Francica memoria digna indagari potuerint, colligamus.

Maria illa, quae dicitur Francica, in oppido Compendio Francogalliae nata summoque loco orta, vitam vel certe magnam vitae partem in Anglia degit; floruit circa medium saeculum tertium decimum, maximaque doctrinae copia excellebat. Summam et inter aequales et apud horteros gloriam sibi praravit operibus suis, ex quibus exstant: duodecim carmina epica e genere eorum, quae tum „*lais*" vocabantur, quae ad honorem regis Angliae Henrici III. circa annum fere 1245 composuit, centum tres fabulae, quas comiti Guilelmo de Dampierre, filio Guilelmi de Dampierre et Margarethae II, Flandriae comitis, dedicavit et circa annum 1248 scripsit, denique narratio quaedam, quae liber de Purgatorio inscribitur, quae compluribus annis post annum 1250 confecta esse videtur. Plura opera ab eo facta adhuc non reperta sunt, minimeque in eo numero habendum est poëma illud, quod inscribitur: *le couronnemens Renart, qui par son engin Rois est coronés.*

Haec habui, quae de Maria Francica dicerem; quae si ab eis viris, quorum iudicium in talibus rebus pro auctoritate est, comprobentur, me quaestionis satis operosae laborem non frustra suscepisse vehementer gaudebo.

Annotationes.

[1] Roquefort buattuordecim carmina edidit, quae omnia a Maria composita esse affirmat, sed duo ultima, quae: *li lais de Graêlant* et *li lais de l'espine* inscribuntur, ipse suo iudico nulla auctoritate Mariae tribuit. Codex enim Harleianus qui unus duodecim Mariae carmina continet, ea non habet, sed utrumque Roquefort in codicibus quibusdam Francogalliae nullo addito auctoris nomine repperit; qua autem ratione ductus ea Mariae tribuerit, nescio; imo vero multis de caussis ea non a Maria composita esse credendum est. Prius enim carmen (de Graelanto) ut iam Wolf. (Ueber die Lais Seq. und Leiche p. 238) animadvertit, eandem fere rem, quam Mariae carmen, quod li lais de Lanval inscribitur, tractat, minimeque veri simile est, Mariam eaudem rem bis narravisse. Denique in eo carmine (de Graelanto) multa verba et structurae inveniuntur, quae manifeste e Mariae carmine de Lanvalio desumpta sunt, ut appareat, hoc carmen ad exemplum illius esse compositum. Quibus de caussis id carmen a Maria non esse compositum statuo. Alterum *(li lais de l'espine)* de la Rue (Essais hist. etc. I, pp. 20, 21) Guilelmo Normanno tribuit, et Avenel quoque (Journal des Savants 1844 p. 678 not.) affirmat, in codice nomen illius auctoris *(Guillaume li Clers qui fu Normans)* legi, quod Roquefort (Poésies de Marie etc. I, p. 40, n.) negaverat; utcunque ea res se habet, certe ne minimam quidem caussam habemus, cur id carmen Mariae tribuamus, praesertim cum longe alia dialecto compositum sit ac carmina Mariae.

[2] Robert (Fables inédites etc. I pp. 155, 248) praeter centum tres fabulas a Roquefortio editas novas duas a Maria scriptas se invenisse dicit; nescio qua auctoritate nisus ea Mariae tribuat; nam altera certe (quae p. 248 legitur) a Maria composita esse non potest; nam centum tres illae fabulae Mariae omnes versibus octo syllabarum compositae sunt, haec autem versibus sex syllabarum; cum praeterea aliam dialectum, ac fabulae Mariae, exhibeat, minime credi potest, eam a Mariae scriptam esse. Cum in hac Robert labatur, etiam de altera (p. 155) dubitare licet, praesertim cum et huius sermo a Mariae sermone differat.

[1] Quomodo enim in fabulis edendis egerit, ipse (Poés. II, p. XIV) hoc modo describit: Ce premier travail (sc. describendi a codice), aride et surtout ennuyeux, (!) n'étoit rien encore. Il falloit comparer ma copie avec les différents manuscrits de la bibliothèque royale; il falloit prendre les meilleures leçons, afin de faire choix des meilleures, indiquer les variantes (?), corriger les passages mal transcrits, retrancher les additions faites par un copiste ignorant et emfin interpoler les vers oubliés (!), pour parvenir à former un ensemble parfait. Quale sit illud „ensemble parfait" quod eligendo, emendando, delendo, interpolando constituit, conspicitu [7] comparatione eius fabulae, quam Tyrwhitt (l. l. § XXXVI, p. 29) a codice Harleiano descripsit et eiusdem fabulae, qualis est apud Roquefortium (II, fab. LI, p. 240); quae quo facilius institui possit, utramque, alteram e regione alterius, hoc loco describam:

Fabula Tyrwhittii:	Fabula Roquefortii:
D un cok recunte ki estot,	D'un Coq recunte qui esteit
Sur un femer e si chantot.	Seur un femier e si grateit;
Par de lez li vient un gupilz,	Par delez lui vint li Worpis,
Si l'apela par muz beaus diz.	Qi l'apela par moult beax dis.
Sire, fet-il, muz te vei bel;	Sire, feit-il, mult te voi bel,
Unc ne vi si gent oisel.	Ainc ne vi mais si gent Oisel:
Clere voiz as sur tute rien;	Clere voiz as sor tute rien,
Fors tun pere, qe jo vi bien,	Fors tun pere que conui bien,
Unc oisel meuz ne chanta;	Unques Oiseax melx ne chanta
Mes il le fist meux, kai il cluna.	Mais il dist miex qant il cligna.
Si puis jeo fere, dist li cocs,	Si puis-jeo faire, dist li Cos,
Les eles bat, les oilz ad clos,	Les eles bat, s'a les oex clos,
Chanter cuida plus clerement	Chanter cuida plus clerement.
Li Gupil saut, e sil prent;	E li Werpil saut, si le prent,
Vers la forest od lui s'en va.	Vers la forest tut dreit s'en va.
Parmi un champ, u il passa,	Parmi un champ u il passa.
Curent apres tut li pastur;	Current apres tuit li Pastur,
Li chiens le huent tut entur.	Lor Chiens li huient tut entur,
Veit le gupil, ki le cok tient,	Vers le Gourpiz qui le Cox tient,
Mar le guaina, si par eus vient.	Mal est bailliz se vers eus vient.
Va, fet li cocs, si lur escrie,	Va, feit li Cos, si lur escrie:
Qe sui tuens, ne me larras mie.	Miens est li Coz, n'en aurez mie;
Li Gupil volt parle en haut,	Li Goulpis volt parler en halt
E li cocs de sa buche saut.	E li Coc de sa buche salt;
Sur un haut fust s'est muntez.	Sor un haut fust s'en est muntez,
Quant li gupilz s'est reguardez,	E li Gopil s'est regardez,
Mut par se tient enfantillé,	Ez-le vos mat e correcié.
Que li cos l'ad si enginné.	Mult por se tient a farcillié,
De mal talent e de droit ire	Mult se tint bien afannoié,

Fabula Tyrwhittii:

La buche comence a maudire,
Ke parole quant devereit taire.
Li cocs respunt, si dei jeo faire,
Maudire l'oil, ki volt cluiner,
Quant il deit guarder e guaitier,
Que mal ne vient a lur Seignur.
Ceo funt li fol tut li plusur,
Parolent quant deivent taiser,
Teisent quant il deivent parler.

Fabula Roquefortii:

Que li Cos l'ot si engingnié.
De mal talent e de droit ire
Cumança la buche a maldire,
Qui parole qant se deit tere;
Li Cox respunt, si deis-geo fere
Maudire l'ueil qui vient cluigner
Alors que il devreit veillier.
Pur ce le racunte, Segnur,
Ce funt li Fol e maint Plusur;
Parolent qant deivent cesser
E tesent qant devreient parler.

[4] Robert complures versus in fine huius poëmatis se legisse ait, qui non sunt in editione Méonii (Rob. I, CXXIX v. 3399)

Or entendez pour Diu singneur,
Coment Marie nos traita
Des prouverbes qu'ele trova.
Dont ja desus nos a dit:
Si entendes com ele dit:
Cil qui — seq. prol. fab. Mar.

Versus hos nec Méon, nec Chabaille, nec Rothe commemoravit, nescio unde Robert eos habeat. Praeterea novi nihil afferunt.

Eduardus Mall de vita sua.

Natus sum d. XXVII mens. Aug. a. 1843 in oppido Sti. Wendelini, patre Carolo, mercatore, matre Maria, e gente Hallauer, quos parentes carissimos praematura morte mihi ereptos, magnopere doleo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus partim in schola patriae urbis partim in gymnasio Trevirensi, rectoribus V. Loers et postea J. Reisacker, ad studia academica praeparatus sum. Maturitatis testimonio instructus vere a. 1863 civibus Universitatis Frideric. Guilelm. Bonnens. ascriptus per tria semestria scholas adii vv. ill. Delius, Diez, Gildemeister, Jahn, Knoodt, Lassen, Ritschl. Deinde Berolinum me contuli atque per quinque semestria docentes audivi vv. praeclar. Droysen, Haupt, Kirchhoff, Müllenhoff, Steinthal, Trendelenburg; ac praeterea per quatuor sem. interfui exercitationibus seminarii doctorum linguarum anglicae et francogallicae quas moderante v. ill. L. Herrig, fructosissimas mihi fuisse lubenti animo profiteor. Omnibus autem illis viris gratias quam maximas ago. Quadriennio perfecto, in numerum civium univ. Halensis receptus dissertationem hanc inauguralem nunc praebeo.

Theses.

I Locum corruptum Pass. Christ. 70, 2 sic emendandum esse:

E dels feluns que eu vos diz?
Anz lai *de* venir *oc il la sei* (= set)
Quar il lo fel mesclen cet.

II Fabulae celeberrimae Shaksperii „Merchant of Venice" inscriptae nomen comoediae iure vindicari.

III In gymnasiis linguam francogallicam ante latinam docendam esse.

IV Fabulam (bestiarum) primitivam non necessario ad docendum spectasse.

V G. Lessingium in iudicandis fabulis clari poëtae Lafontaine iusto severiorem fuisse.

NUMBURGI A/S.,
TYPIS EXPRESSIT G. PAETZ.

Theses.

I Locum corruptum Pass. Christ. 70, 2 sic emendandum esse:

E dels feluns que eu vos diz?
Anz lai *de* venir *oc il la sei* (= set)
Quar il lo fel mesclen cet.

II Fabulae celeberrimae Shaksperii „Merchant of Venice“ inscriptae nomen comoediae iure vindicari.

III In gymnasiis linguam francogallicam ante latinam docendam esse.

IV Fabulam (bestiarum) primitivam non necessario ad docendum spectasse.

V G. Lessingium in iudicandis fabulis clari poëtae Lafontaine iusto severiorem fuisse.

NUMBURGI A/S.,
TYPIS EXPRESSIT G. PAŁTZ.